3 1761 04448 3964

STUDIA CRITICA

IN

C. LUCILIUM

POETAM.

STUDIA CRITICA

IN

C. LUCILIUM

POETAM.

CONTULIT

Joannes Adolphus Carolus

J. A. C. Van HEUSDE.

GYMN. AMISFURT. RECTOR.

TRAJECTI AD RHENUM,

TYPIS MANDAVERUNT KEMINK & FILIUS.

MDCCCXLII.

1842

LIPSIAE APUD T. O. WEIGEL.

PA
6481
L6Z6

LIBRARY
753444
UNIVERSITY OF TORONTO

Nemo viles putet veteres poëtas, quod versus eorum scabri nobis videntur. Ille enim stilus Enniani seculi auribus solus placebat, et diu laboravit aetas secuta, ut magis huic molliori filo acquiesceretur.

Macrobius.

Prisci aevi memoriam prudenti disquisitione illustrare parem habet et voluptatis et utilitatis commendationem. Quod quemadmodum recte judicantibus, sive ipsi eam memoriam explicarent, sive doctarum investigationum fructus colligerent et usurparent, semper visum est, ita neque illud dubitandum, quin earum laudum, quibus hoc potissimum celebratur studiorum genus, haud exiguam sibi partem vindicet omnis, quae in instaurandis clarorum ingeniorum monumentis versatur, disquirendi diligentia. Harum enim investigationum ratio proxime conjuncta est cum uberiore historiae et totius antiquitatis cognitione. Quare fieri solet, ut, illustratis iis, quae aut ad praestantium virorum vitam et facta, aut ad pleniorem scriptorum intelligentiam pertineant, ipsius qua

floruerunt aetatis quasi imago quaedam pateat, suis aut vitiis insignis aut conspicua virtutibus. Atque etiam fit saepenumero, ut, si hic tantus accuratae doctrinae et acris indagationis fructus negetur, tamen aliquod sit operae pretium utque conjunctis argumentis ex sedula rerum exploratione nova et inexspectata lux affundatur.

Sed ut hoc judicio universi comprehenduntur, qui aequalibus rerum aut gestarum aut inventarum aut excultarum gloria excelluerunt, tamen haud scio an praecipuus quidam locus iis sit tribuendus, qui in aliquo artis doctrinaeve genere tractando viam posteris et rationem, quam in eodem stadio tuerentur, ostenderunt. Quorum utinam omnium fida et integra ad nos pervenisset fama! Sed multum abest ut fortunae eam, quam voluissemus, gratiam habeamus. Quae si pepercit multis, quae gratâ prosequimur veneratione, plurima absumsit, absumsit ea, quorum jacturâ fingi in his literarum studiis vix ulla major potest. Nam quum intersit plurimum, artium et disciplinarum contextam historiam novisse, ut arduum ingenii humani a rudibus initiis ad maturitatem suam iter et progressionem cognoscamus, veterum silentio et ipsorum monumentorum interitu fit, ut naturae nostrae cupiditatem satiare nisi aegre possi-

mus, ut multarum initia artium et disciplinarum levibus incertisque vestigiis abscondita doleamus, quae persequi infiniti ac fere desperati laboris est. At vero tanti momenti res, quas si contingeret invenire quantivis pretii esset habendum, facile gravitate sua impediunt, ne justo dolori otiosa accedens desperatio tollat investigandi curam et assiduitatem. Quapropter, clarissimis exemplis usos, in suis singulos studiis diligentissime oportet vires periclitari, ut, quoad ejus fieri possit, ingentes leniamus studiis nostris iniquae fortunae calamitates.

Satira Romanorum utrum proprium aliquod ac privum Romanae poëseos genus, an commune Graecis fuerit, utrum totum his sit vindicandum auctoribus, an illorum vel ingeniis sit partum vel instauratum studiis vel peculiari ratione tractatum ac frequentatum, gravis omni tempore fuit neque esse desiit inter eruditos controversia. Qua de re si quaerimus quae dubitandi variasque in partes discedendi causa fuerit, duplex est, altera fontium penuria, altera suspecta tradentium fides; accedit tertium, locorum in magna paucitate summa corruptela. Gravis igitur quaestio graviter impeditur, nec videtur probabiliter solvi posse, nisi iterata testimoniorum, quae

attulit antiquitas, perpensione. Quod autem mirum videri possit consideranti, satirae Romanorum nec natura nec ratio obscura aut ignota est. Principum enim, qui in eo poëseos genere elaborarunt, scripta servata nobis sunt et omnium teruntur manibus. Viget omnium animis, qui hoc non minus quam lyrico genere inter aequales suos inclaruit, Horatius, obtinuitque idem principatum, ut iis, qui secuti sunt, quamvis ipsius artem et studia aemulatis, tamen palmam non cesserit; quin hi ipsi, qui Horatii laudibus magno et temporis et famae intervallo successerunt, Juvenalis et Persius, et doctorum mentem tenent nec discentium manus effugiunt. Ferri igitur de satira Romana, ab hoc triumviratu culta, judicium potest. At vero jam attigerat illa maturitatem suam, quo tempore satiras suas ediderat Horatius; omnis autem de ejus origine, initiis, primoque ad perfectionis fastigium nisu atque aditu disquisitio priorum poëtarum memoriâ continetur, quae, quatenus opera hac in re posita spectatur, obscuris involuta testimoniis vix stabilem sententiam admittit. Primus Ennius nonnulla in hoc genere condidit, Pacuvius etiam satiras fertur scripsisse; scripserunt deinde Lucilius et Varro, atque hic quidem singularem edidit libellum, quo de *compositione satirarum* agebatur. Horum si superes-

sent satirica poëmata, si Varronis libellus aetatem tulisset, vix dubium est, quin cum de universo satirae genere, tum de singularibus ejus speciebus rectius existimaremus, et quasi oblatam oculis judiciisque subjectam satirae Romanorum historiam haberemus. At longe secus evenit. Ex ipsis enim priscorum illorum satiricorum operibus nonnisi fragmenta grammaticorum studiis servata sunt, eaque ita lacera, dispersa et nexu orbata ut latum conjiciendi et a vero aberrandi locum praebeant, certi atque explorati vix quidquam polliceantur. Quo igitur magis interest hanc miseram conditionem aliquatenus levare, eo patientius exspectanda nobis sunt, quae parantur, codicum auxilia, ut, restitutis sanitati fragmentis, facilior sit de universis operibus et antiquiore satirae ratione disputandi via.

Ac Lucilium quidem ea, quam fovemus, spes proxime attingit. De hoc enim satirico poëta crebrior est apud veteres, praesertim apud Horatium sermo. Eum et Horatius secutus est, et ceteri satirae scriptores plurimum respexerunt: eundem non minus laudibus celebratum quam gravi obnoxium reprehensioni cognovimus. Operae igitur pretium facturi nobis videmur, si de industria Lucilii vitam e fontium indiciis repetemus, nec silentio obscura prae-

termittentes neque dubia pro certis amplectentes. Inde sumto initio, fidi interpretes persequemur iter nostrum, atque illustratis, quoad ejus in rerum obscuritate fieri potest, paucis quae ad ejus memoriam recolendam facere videantur, periculum faciemus, num certi quid de ejus facultate poëtica ceterisque quae ad ejus poësin proxime pertinent, tueri possimus. Quae si aliquatenus successerint, indagabimus quae satirae origo fuerit ac tutius fortasse suspicabimur, quem locum Lucilius in ea Romanorum poësi tenuerit.



C. LUCILII AETAS ET VITA.

Num in antiquis fuerint, qui datâ operâ Lucilii vitam memoriae proderent, ignoramus. Ipse quidem vitae suae interpres verus et candidus laudatur ab Horatio [1]:

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque, si male cesserat, unquam
Decurrens alio, neque, si bene: quo fit ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabellâ
Vitâ senis.

Quo Horatii testimonio nihil cum ad conciliandum nobis Lucilium tum ad deplorandam illorum librorum jacturam magis valet. Nam inde continuo aliquo modo, eorum ratio quae fuerit, suspicari nobis licere patebit. Sed praeter Lucilium, vitae suae ingenuum scriptorem, nullum invenimus, qui idem vel datâ operâ, vel aliud agens fecerit. Neque memoratur ejus vita in libro *de poëtis*, qui Suetonio tribuitur, quamquam, quae Hieronymus memoret, inde

1 *Sat.* II, 1, 30 seqq.

desumta arbitrantur Sagittarius et Varges. Sed res plane incerta est. Quaecunque de eo explorata habemus, exilibus Romanorum scriptorum testimoniis continentur; praeterea diserta ejus mentio facta est in ejusdem Hieronymi Chronico, ubi annus natalis, annus quo mortuus est, praeterea locus, ubi excessit e vita, refertur. E recentioribus vero multi, compositis veterum locis, concinnare vitam poëtae studuerunt. Ac primum quidem memorandi sunt *P. Crinitus de poëtis Latinis* I, 9. Flor. 1505. *L. Gyraldus de historia poëtt. Graec. et Lat.* Basil. 1545 p. 192—194. *Fr. Dousa Ed. Fragm. Lucilii.* L. B. 1597 p. 97—99. *G. J. Vossius de poëtis latinis.* (Opp. III, 232, 233) Amst. 1654. *C. Sagittarius de vita et scriptis Livii Andronici — Lucilii.* Altenb. 1672 p. 48—55. *J. A. Fabricius Biblioth. Lat.* Hamb. 1696 I, 666. *P. Bayle Dict. hist. et crit.* Amst. 1789 v. *Lucile* III, 200—203. Sed neque horum neque aliorum, quos omnes longum est recensere, ullus est, qui magis de industria rem exponere et vulgarem de Lucilii aetate sententiam impugnare conatus sit, quam Baylius, cujus suspiciones probavit et auxit *Fr. Wuellner de Laevio poëta.* Monast. 1830. Merito igitur, qui nuperrime in eodem argumento elaboravit, *C. Varges* in *quaestionibus Lucilianis* [1] Baylii praecipue rationem habuit, et singulas ab eo motas dubitationes ad probabilem exitum perducere studuit. Neque tamen ita solvisse omnia videtur, ut dubio major ejus sententia sit habenda.

---

1 *Rhein. Mus. für Philol.* 1835 III, 15—69.

Specimine suo instituit disquisitiones de nomine Lucilii, de anno quo natus quoque mortuus sit, de loco natali, contenditque postremo, a Lucilio neque majoris Scipionis neque minoris vitam privatam scriptam esse. Nos quidem in enarranda Lucilii vita harum quaestionum memores futuri nunc, missa prima de nomine quaestione, qua solvenda abunde satisfecit etiam uberiora sciscitantibus, proximam de aetate attingimus.

Aetas Lucilii in Hieronymi Chronicorum libro ita accurate descripta videtur, ut in errorem multos invitos incidisse non mirum sit. Ita enim scriptum invenimus [1]:

Anni ab Abraam	Olymp. Alex. Judaeor.		Syriae.
MDCCCLXX.	33.	11. Lucilius [2] poëta nascitur. Descriptione Romae facta inventa sunt hominum 322 milia.	4.
	Olymp. 159.		
	3.	16. Scipio Numantinos subvertit.	9.
	Olymp. 169.		
	14.	2. Turpilius comicus senex admodum Sinuessae moritur. Cajus Lucilius [3], Satirarum scriptor, Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis 46 [4].	

1 *Hieron. Opp.* VIII, 577. Veronae 1740. Ed. Vallars.
2 In *Parmensi M. S.* Lucullus.
3 *Eod.* Cajus Lucius.
4 In *Palatino primo:* 47.

Tam bene constitutae aetati suas primum Baylius, fraudis impatiens vir, rationes satis graves opposuit, quibus et natalem annum antecessisse Ol. 158, et mortem post 169 Ol. incidisse contenderit. Ac prius quidem, quam Hieronymus indicet, natum esse, inde probare conatur, quod Vellejus Paterculus [1] diserte tradat, eum, sub P. Africano, Numantino bello equitem militavisse. Negans igitur fieri potuisse, ut Lucilius eques meruerit quatuordecim annos natus, anni natalis terminum necessario removendum existimavit. Quam ejus sententiam fuerunt, qui sequerentur. Quin rationem corrigendi loci Hieronymiani sibi invenisse visus est Vallarsius, Hieronymiani Chronici editor, qui pro *nascitur* conjecit legendum *noscitur* vel *agnoscitur*, non reputans, quae Ol. 169 de aetatis anno, quem Lucilius attigit, leguntur, conjecturae obesse. Praeteriit autem Baylium, ex Hieronymi loco argumentum peti posse, quo declaretur non temere ei fidem esse habendam, quippe in re certissima turpiter erranti. Nam subversam Numantiam ad Ol. 159 referens, gravissimorum scriptorum auctoritati refragatur, qui urbis excidium Ol. 161, 4 accidisse testantur [2]. Praeterea, adhibito Velleji loco, Lucilii militia jam quinto aetatis anno coepisset. Quo magis cavendum, ne quid amplectamur, quod non accuratissime pervestigatum sit.

Audiamus igitur, quae ad tuendum utrumque Hiero-

---

1 *Hist.* II, 9.

2 *Cic. Phil.* XI, 8, 18. *Liv. Epit.* 59. *Eutrop.* IV, 19. *App. Iber.* 97.

nymi de Lucilii aetate locum docte acuteque disputavit Varges. Tantum is abfuit, ut varia argumenta, quibus premitur quaestio, aut sperneret, aut leviter attingeret, ut aliam praeterea moverit et expedire dubitationem conatus sit. Ac primum quidem in eo versatur, ut ostendat, non raro apud Romanos usu venisse, ut adolescentes ante annum aetatis septimum decimum militiam capesserent. Quod, comparatis primum Vegetii locis I, 4, III, 10 et inscriptionum indiciis, porro graviore Livii loco XXV, 5, confirmare studet, ubi ille senatusconsultum memorat, quo triumviri omnem copiam ingenuorum inspicere, et si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari aetate essent, milites facerent, jussi sunt. Atque hoc quidem accidit Ol. 142, 1 (a. Ch. 212) sub Syracusarum expugnationem. Idem vero postea obtinuisse probari potest. Memorabile enim est, quod bello Punico III accidisse legitur apud Plutarchum [1]. *Ὁ δ' οὖν νεωτέρος Τιβέριος* (Caji frater) *στρατευόμενος ἐν Λιβύῃ μετὰ τοῦ δευτέρου Σκιπιώνος, ἔχοντος αὐτοῦ τὴν ἀδελφὴν* (Semproniam), *ὁμοῦ συνδιαιτώμενος ὑπὸ σκηνὴν τῷ στρατήγῳ, ταχὺ τῶν νέων πάντων ἐπρωτεύεν ἐυταξίᾳ καὶ ἀνδρείᾳ· καὶ τοῦ γε τειχοῦς ἐπεβὴ τῶν πολεμίων πρῶτος, ὡς φησι Φάνιος, λέγων καὶ αὐτὸς τῷ Τιβερίῳ συνεπιβῆναι καὶ συμμεταστῆναι ἐκεινῆς τῆς ἀριστείας.* Mortem obiit Ti. Gracchus, teste eodem [2], *οὔπω τριακόντα ἔτη γεγονὼς* Ol. 161, 4 (133). Itaque anno U. C. 502 (162) ineun-

---

1 *Vita Ti. Gracchi* 4.

2 *Vita C. Gracchi* 1.

te natus, aetatis anno sexto decimo Carthaginis muros vere anni 608 (146) adscendit. Nec facile quisquam negabit, eum videri posse non hoc ipso anno, quo excisa Carthago est, sed jam ante id tempus castra Scipionis sectatum esse. Quemadmodum autem idem Scipio Aemilianus Africanus minor Ti. Gracchum adolescentulum secum habuit, quum Carthaginem everteret, ita nihil obstat, quominus post, Numantiam obsidione premens, in exercitu haberet C. Lucilium quindecim annos natum. Neque tantum id verisimile fit Gracchi exemplo, sed comprobari idem Appiani loco [1] primus recte monuit Varges. Scribens enim Numantinum bellum historicus narrat, abduxisse secum Româ in Hispaniam Scipionem quingentos amicos, quos, in propriam cohortem divisos, φίλων ἴλην appellaverit; quam delectam voluntariorum manum cum reliquis cohortibus fratri committens ipse cum paucis progressus est. In quibus fuit Jugurtha, *per quem imperator omnes fere res asperas agere eumque in amicis habere, et magis magisque in dies amplecti coepit, ita ut idem sibi virtute sua multos ex Romanis familiari amicitia conjungeret* [2]. Fuisse in iisdem castris C. Marius, C. Sempronius Asellio, P. Rutilius Rufus tribunus militum dicuntur, quorum postremus carus fuit quam maxime Scipioni, et cum Asellione totum illud Numantinum bellum conscripsit [3].

---

1 *Iber.* 84.

2 *Sall. B. Jug.* 7. *Vell. Pat.* II, 11.

3 *Cic. de Rep.* I, 9, 11. *Vell. Pat.* II, 9. *App.* l. l. 88. *Gellius* II, 13.

Colligitur hinc, impuberem Lucilium interfuisse rebus ad Numantiam gestis ac fidem habendam Vellejo. Quae quum per annum et circiter tres menses duraverint, verisimile est, tertium decimum aetatis annum ingressum cum Scipione Româ eo profectum esse cum ceteris aequalibus, qui grati essent imperatori. Illa autem praematura militia sublata est C. Gracchi tribunitia lege [1], quadriennio post excisam Numantiam perlata, qua quum caveretur, ne quis infra decimum septimum aetatis annum ad militiam cogeretur, intelligitur impuberes non solum voluntarios ante lectos fuisse, sed coactos adeo militiae nomen dare. Tandem vero, quod gravius offenditur Baylius, *equitem* militasse Lucilium apud Vellejum perhiberi, vana causa est, siquidem amicorum illam turbam, quam secum habuit Scipio, equitibus constitisse inde verisimiliter contendi potest, quod Rutilius, qui sine dubio in iisdem fuit, quippe Lucilio si minus aetate inferior certe aequalis, quatuor equitum turmis praefectus fuit [2].

Sublato hoc Baylii impedimento, duo alia Wuellneri Varges attingit et tollit. Ille enim, Baylii rationibus motus, negat se propter aetatis discrimen, quod Lucilium inter et Scipionem ac Lucilium intercessit, assentiri posse Scholiastae Cruquiano, exemplo confirmanti, magnam clarissimis duumviris cum poëta intercessisse familiaritatem. Quam sententiam apte

---

1 *Plut. Vita C. Gr.* 5.

2 *App.* l. l.

Varges ex ipso virorum ingenio, quod ad mirificam ex vitae severitate hilaritatem diffundi solebat, refellit, ut nihil dubii maneat, quin eam familiaritatem in Lucilii pueritiam incidisse statuamus. Alterum vero gravius videtur. Nam ex Horatii [1] verbis efficit Wuellnerus, Lucilium, quo tempore illa gauderet Laelii et Scipionis honorifica familiaritate, jam carmina composuisse magnamque et gloriam adeptum esse et vero scribendi libertate et audacia ingentem metum civibus injecisse. Quod negans fieri potuisse a juvene viginti annis minore sine gravi imprudentiae licentiaeque offensione, aetate jam provectiorem hoc opus aggressum esse, quod nec Laelio nec Scipioni displiceret, perhibet. In his refutandis ita versatur Varges, ut suspicetur primum, Horatium retulisse ad tempus superius ea, quae Lucilius, Laelio quidem superstite sed mortuo Scipione, scripsisset, tum doceat, etiam salvâ Horatii fide et auctoritate nihil absurdi manere; procul dubio enim Scipionem et Laelium, adolescentuli admirabiliter ingenio et moribus delectatos, faciles ad condonandum aetati fuisse, quidquid inclarescenti poëtae acrius amariusque dictum excidisset. Mihi vero ipsius belli rationem habenti nihil obstare videtur, quominus Horatii testimonium verissimum esse statuamus, nec tantum ante Scipionis mortem, quae accidit 625 (129), sed ipso tempore belli Numantini Lucilium satirarum scribendarum exordium fecisse. Quod autem ita dixi, belli ratione me in hanc opinionem perductum esse, assentientem

---

1 *Sat.* II, 1, 65.

facile habebo, qui verba Sallustii reputet: « Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis quam honesti, qui Jugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperio Numidiae potiretur: in ipso maximam virtutem, Romae omnia venalia esse! » [1]. Hujus generis homines praesertim amaram Lucilii derisionem passi dicuntur ab Horatio; his *detrahere pellem*, *nitidus qua quisque per ora cederet*, *introrsum turpis*, ausus est. Ignoramus, num Laelius belli ejusdem socius fuerit Scipioni: illud certum expeditionibus ejus interfuisse; etenim *militiae* propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coluisse narratur. Sed sive in iisdem castris cum Lucilio versatus est ad Numantiam, sive Romae eo tempore vivebat, Lucilius ea, quae sibi in moribus commilitonum carpenda et perstringenda videbantur, et foris, audiente ac probante Scipione, satirâ expressit, et domum redux cum Laelio communicavit. Sed, quod, castrensis disciplinae argumento usi, suspicati sumus, idem diserto testimonio confirmari potest. Nam Cicero, Graecos scriptores vertendi consilium prodens, *nec vero*, inquit, *ut noster Lucilius*, *recusabo quominus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius! Sci-*

---

1 *B. Jug.* 8. Cf. *App. Iber.* 84, 85, ubi plurima vitia, quibus laborabat eo tempore exercitus, et rationem, qua iis mederi Scipio studebat, indicat. Ignava superstitio, seditiones et luxuria praecipue animos militum debilitarant.

pio vero et Rutilius multo etiam magis: quorum ille judicium reformidans, Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere [1]. P. Scipionem Africanum minorem et P. Rutilium Rufum hîc videmus conjunctim memoratos, quorum amicitia in Hispaniensi expeditione ad Numantiam fruebatur Lucilius. Scipio autem triennio postquam triumphaverat excessit e vita. Itaque ante ejus mortem ab durante bello jam periclitatum ingenium fuisse poëtam manifestum est.

Tertiam difficultatem primus movit Varges. Memorat enim, a Macrobio [2] C. Titium, legis Fanniae suasorem, *virum aetatis Lucilianae* appellari. Legem autem Fanniam cum 593 (161) latam esse constet [3], novam inde dubitationem de hactenus probata Lucilii aetate oriri sensit. Verum hîc quidem solito esse breviorem eundem dolemus. Scribit enim: « verum hoc per se solum ad denegandam Eusebio fidem parum valere patet, praesertim cum idem Titius — non enim ab illo differre videtur — ita commemoretur a Cicerone (Bruto 45), ut existimandus sit maxime floruisse seculo insequenti. » Res tamen digna est, quae paulo accuratius investigetur, quod facere decuisset, qui in singulis explorandis praeclare versatus erat.

Quis fuerit C. Titius Macrobio laudatus, cum

---

1 *De Fin.* I, 3, 7.

2 *Saturn.* II, 12.

3 Nam C. Fannius eam consul tulit, quem magistratum gessit eo, quem indicavimus, anno. *Plin. H. N.* X, 50. Cf. *Orell. Onom. Tull.* III, 273.

plures exstiterint hoc nomine [2], conjicere vix auderemus, nisi propter mentionem legis Fanniae ab eo suasae causa videretur esse, cur eundem esse putaremus, de quo Cicero in Bruto his verbis egit: « Ejusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius, qui meo judicio eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Graecis literis et sine multo usu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. Easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit [1].» Patet eum valde nobilem oratorem, tragicum mediocrem fuisse, aequalem Cn. Domitii, C. Caelii et M. Herennii, qui omnes, ut apparet ex iis quae in Bruto praecedunt, Crassi et Antonii oratorum aequales fuerunt. Additur autem: « quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.» Hoc testimonium Ciceronis multos induxit, ut L. Afranium, cujus aetatem perpauca ceteroquin vestigia declarant, floruisse statuerent circa Herennii, qui ibi memoratur, consulatum anno 660 (94) gestum. Sed mire hinc per-

---

1 Vid. *Weichert Poëtt. Latt. Fr.* p. 372. Non opus est ut, quem Fronto p. 46 memorat, C. Titium diversum esse putemus ab eo, qui Ciceroni laudatur. Neque igitur ibi substituendum est Titinnii nomen, quod inconsideratius statui in *Disq. de L. Aelio Stilone* p. 42.

2 C. 45. Sic existimarunt *Meyer Oratt. Rom. fragm.* p. 178, *Orell. Onom. Tull.* II, 590. III, 274. *Westermann* aliam legem Fanniam, non sumtuariam anni 593 (161) significari putat. *Gesch. d. Röm. Beredts.* p. 124.

turbatur Afranii comici aetas, quae in multo prius tempus refertur a Vellejo. *Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Accii* [1]. Disertius idem. *In Accio circaque eum Romana tragoedia est, dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium suppari aetate nituerunt* [2]. Manifestum hinc est, a Vellejo Afranium propemodum aequalem poni Terentio. Velleji igitur auctoritas cum vix suspecta esse possit, statuamus necesse est fieri non posse, ut Afranii aetas ad Ciceronis locum exigatur. Contra si suasione legis Fanniae Titii oratoris aetatem aliquo modo definiri posse recte contendimus, patet Ciceronem vere scripsisse, in imitando Titio Afranium fuisse, at simul necesse erit utriusque aetatem ad prius tempus referre. Quaerendum igitur restat, unde Ciceroni tam gravis error exstiterit, quo inductus Macrobius Titium Lucilianae aetatis virum appellarit. Si quid video, Cicero quidem ipse culpâ liber est, omnis autem error repetendus ex ea Bruti Ciceroniani editione, quam Hieronymus memorat. *Nonnulli*, ait, *etiam in Bruto Ciceronis dialogo faciunt, ut eum in tres partes secent, cum unus a suo*

---

1 II, 9.

2 I, 17. Eodem ordine Quintilianus eosdem poëtas refert *Inst. Oratt.* X, 1, p. 227. Quo magis puto restituendum Afranii nomen apud *Gellium* XVII, 21. *Neque magno intervallo post ea* (post legationem trium philosophorum) *Q. Ennius et juxta Caecilius, et Terentius ac subinde* [*Afranius*] *et Pacuvius, et Pacuvio jam sene Accius, clariorque tunc in poëmatibus eorum obtrectandis Lucilius fuit.*

auctore sit editus [1]. Difficillimum est, causam tripartitae distributionis invenire. Si bipartitam dixisset Hieronymus, alteram commemoratione veterum oratorum, alteram ea parte constitisse intelligeremus, qua *sua initia*, *suos gradus*, *suae eloquentiae velut quandam educationem* retulit [2]. Nunc, ad conjecturas rejecti, suspicamur non sine quadam veri specie, primam partem continuisse ea capita, quibus oratores Graeci et Latinorum oratorum quotquot usque ad Antonii et Crassi aetatem floruerunt, comprehenduntur (c. 1—36). Alteri vero, quae complecteretur eorum memoriam, qui suam aetatem praecessissent (c. 37—70), successisse tertiam, quae ultima esset ac versaretur in recolendis aequalium oratorum meritis. Quam facile hinc rerum narratio perverti et commisceri potuerit, vix est quod moneamus: noster autem hic locus testimonio est. Mihi quidem probabile videtur a Cicerone C. Titii mentionem esse factam, neque ejus tantum, qui nunc legitur, sed etiam alterius. Memoratur a Dione Cassio ad a. 665 (89) *Γάϊος Τίτιος, ἀνὴρ ἀγοραῖος καὶ ἐκ δικαστηρίων τὸν βίον ποιούμενος, τῇ τε παῤῥησίᾳ μετὰ ἀναισχυντίας κατακορεῖ χρώμενος* [3]. Manifestum est, differre hunc Titium ab eo, qui Ciceroni laudatur [4].

---

1 *Praef. in libb. Paralip.* p. 751. Quum Hieronymi aetas intra annos 330–420, Macrobii intra 395–435 p. Ch. inciderit, hic fortasse exemplar Bruti habuit, ubi temeraria ista divisio obtinebat.

2 (*Plinii*) *Dial. de Oratt.* c. 30.

3 *Fragm.* CXIV p. 46 Ed. Reimari (p. 104 Sturzii.)

4 *Meyer* l. l. nihil affirmat. *Westermann* l. l. eandem putat.

Nam alter vitam dicitur degisse in judiciis, in altero usum forensem desiderari, Cicero testis est. Versatur autem Cicero eo ipso loco in censendis mediocribus oratoribus, quales feruntur fuisse Cn. Domitius, C. Coelius, M. Herennius, C. Clodius Pulcher. Quibus et mediocritate orationis et aetatis ratione commode adjungi C. Titius potuit, nec contendi necesse est, quae vitia carpsit in eo Dio Cassius, eadem Ciceronem persecutum esse. Itaque praeter eloquentiae mediocritatem aetatem quoque hujus Titii in locum Ciceronis quadrare, apertum est. Nam eorum, qui praecesserunt, consulatus in hos annos incidere observavit Ellendt, Domitii in annum 658 (96), Coelii in 660 (94), Herennii in 661 (93), Clodii in 662 (92). Quum igitur anno 665 (89) turba a Titio excitata adscribatur, haud dubium, quin eum significare voluerit Cicero. Ac ne quis putet majore a superioribus intervallo separari Titium videri posse quandoquidem dicatur *ejusdem fere temporis fuisse.* Vetat enim Ciceronis mos, qui in hoc libro, ubi provectiorem aetatem intelligi verbis istis vult, diserte addit. Ita c. 25 *temporibus iisdem fere, sed longius aetate provectus*; quare hîc nude positum *fere* supparem aetatem ostendit.

Itaque quum haec satis declarent, perturbatum Ciceronis locum in Bruto esse, nulla alia videtur ratio esse, qua ejus sententiam vindicemus, praeter hanc, ut vel C. Titium, cujus etiam nunc in Bruto memoria exstat, e loco quodam superiore in posteriorem migrasse eumque, qui abesse non potest, exturbasse suspicemur, vel, quod potius mihi videtur,

statuamus ejus, quem Dio memoravit, excidisse hoc ipso loco librariorum culpâ mentionem. Neque enim alienum videtur existimare, Ciceronem, ne is, quem posuerat, Titius cum altero Titio, legis Fanniae suasore, cujus omiserat mentionem suo loco facere, temere confunderetur, cavere voluisse et de eo, quae dicenda habebat nobisque servata sunt, dixisse. Quod eo magis inducor ut credam, quo evidentius ipsa verba pristinam eloquentiae aetatem referunt. Etenim, quod et Graecis literis et usu forensi caruisse perhibetur, eo referri puto. Ut paucis absolvam, haec mihi videtur loci maxime probabilis restitutio: *Ejusdem fere temporis fuit C. Titius — Antiquior fuit eques Romanus C. Titius, qui meo judicio —.* Haec quidem plura necesse habui de loco impedito monere, ut, in quo scripto notationem temporum diligentissime persecutus sit Cicero, gravius vitium commisisse ne videretur.

Faciunt igitur haec, ut sua Hieronymi verbis fides stet. Pergamus jam atque indagemus, num vera statuerit, qui Lucilii mortem ad annum 651 (103) retulerit. Qua in re haec tria erunt consideranda: primum *quo anno lex Licinia rogata sit, quam memoravit Lucilius*, alterum *num facta sit a Cicerone de eo jam mortuo in libris de oratore mentio*, tertium *quid intellexerit Horatius, Lucilium senem appellans.*

Legem Liciniam sumtuariam memorat Macrobius. *Post Didiam Licinia lex lata est a P. Licinio Crasso Divite*[1]. Eamque Gellius laudans addit: *Lucilius*

---

1 *Saturn.* II, 13.

quoque legis istius meminit in his verbis (versibus): *legem vitemu' Licinî*[1]. Quum de ceteris legibus sumtuariis fere constet quibus annis latae sint, de hac nullo certo indicio liquet. Baylius retulit eam ad annum circiter 657 (97), ratus a Crasso consule latam esse. Ejus sententiam quum plurimi essent secuti, dissensit Varges, qui, paulo altius rem repetens, statuit, a Crasso tribuno plebis non consule, ideoque tredecim annis ante 644 (110), quae ipsa Pighii opinio fuerat, latam esse. Id duplici argumento persuadere conatur, quoniam et Sammonicus Serenus apud Macrobium *plerasque* sumtuarias leges a praetoribus aut tribunis perlatas esse testatur, et M. Duronii, qui sumtuariae legis (Liciniam intelligit) tollendae in tribunatu auctor dicitur, ipse hic magistratus biennio consulatum Crassi antecesserit. Horum prius argumentum non multum valere, ipse sensisse videtur Varges, suspicatus Sammonicum, ita pronunciantem, de aliis fortasse legibus cogitasse et prioribus Orchiâ et Corneliâ posterioribus. Itaque nihil obstat, quominus tres leges consulares fuisse putemus, Fanniam, Liciniam et Corneliam: qua opinione salva erit Sammonici animadversio, non omnes praeter Fanniam, sed *plerasque* a praetoribus aut tribunis rogatas esse. Sed accuratius perpendi oportet, verane sint et omni dubio majora, quae de Licinia apud Valerium Maximum intelligenda scripsit Varges. Accessisse se ille idem statuenti Boxmanno[2] fatetur, et probare propterea quod

---

1 II, 24, 10.

2 *De legg. sumtuar.* L. B. 1816.

in lege illa ferenda, exolescente metu antiquioris, quaesita sit, teste Macrobio, novae legis auctoritas, ut idem fere, quod Fanniâ, Liciniâ sancitum sit. Mihi quidem ut quid videatur aperiam, legem Didiam non Liciniam intelligendam esse hoc argumento censeo. Scribit etiam Macrobius, Liciniae ferendae probandaeque tantum studium ab optimatibus impensum esse, ut SCto juberetur, ut ea prius, quam trinundino confirmaretur, ab omnibus observaretur tanquam populi sententiâ probata. Hoc anceps et inauditum legis perferendae consilium summaque festinatio satis declarat, grave aliquid ac subitum incidisse, cujus ne latius vis serperet et in tumultum erumperet, cavendum sibi optimates et senatus putarent. Manifesta autem res est Valerii locum attendentibus[1]: « M. Antonius et L. Flaccus censores Duronium[2] senatu moverunt, quod legem de coërcendis conviviorum sumtibus latam tribunus plebis abrogaverat. Mirifica notae causa. Quam enim impudenter Duronius rostra conscendit, illa dicturus: *Freni sunt injecti vobis, Quirites, nullo modo perpetiendi: alligati et constricti estis amaro vinculo servitutis. Lex enim lata est, quae vos esse frugi jubet: abrogemus igitur istud horridae vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet?*» [3] Hac igitur orationis vi et impetu

---

1 II, 9, 5.

2 Durionium et hic et passim apud *Jo. Salesberiensem Policratico*, VIII, 9.

3 Cf. *Cic. de Orat.* II, 63, 274.

Duronius tribunus plebis impugnasse atque abrogasse legem Didiam videtur, ac parum verisimile est, a tribuno plebis legem Liciniam rogari potuisse, quoniam, veriti ut juberetur a populo, ante exactum trinundinum optimates vim eam habere SCto voluerunt. Sed nec Didiam probabile est a tribuno fuisse rogatam, sed a praetore Didio, quod etiam suspicatus est Varges. Haec autem quamvis recte procedant, et Liciniae perferendae causa manifesta sit, tamen possit dubitari, num re vera intelligenda sit apud Valerium Didia; nam fieri potuisse ut alia quaedam nobis obscura esset Liciniae perferendae causa, neque repetenda ex subita abrogatione Didiae. At vero hanc rationem inire vetant Gellii verba, qui memoratis Fannia et Licinia: « post ea, ait, L. Sulla dictator cum, *legibus istis situ atque senio obliteratis*, plerique in patrimoniis amplis helluarentur, et familiam pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent, legem ad populum tulit — [1]. » Animadvertimus, Didiae nullam a Gellio mentionem fieri, neque diserte uspiam exponi, situ atque senio prorsus obliteratam fuisse. Contrarium vero constare videmus de Licinia. Nam ita alio loco Gellius: « Quid tam necessarium existimatum est propulsandae civium luxuriae, quam lex Licinia, Fannia, aliaeque item leges sumtuariae? Omnia tamen haec obliterata et operta sunt civitatis opulentiâ quasi quibusdam fluctibus exaestuantis [2]. » Non autem necesse est, ut *aliis* istis legibus etiam

---

1 II, 24, 11.
2 XX, 23.

Didiam annumeremus, cum plures fuerint praeter eas, quas hîc memoravimus. Quam ob rem gravi argumento efficitur, nullo modo laudatam Valerio legem Liciniam haberi posse. Sed ne vel sic quidem omnis difficultas sublata est. Primum enim, quid significare dicamus, quae Macrobius scribit quaeque Vargem non fugerunt. «In ea (Licinia) ferenda quaesita novae legis auctoritas, exolescente metu legis antiquioris, ita, Hercules, ut de ipsis duodecim tabulis factum est, quarum ubi contemni antiquitas coepit, eadem illa, quae illis legibus cavebantur, in alia latorum nomina transierunt[1].» Haec ille; in quibus verbis obstare sententiae nostrae videatur, quod dicitur *exolescente metu legis antiquioris:* nam si Didia abrogata esset, dici debuisse *sublato metu.* Video quid offendat, nec tamen est, quo impediamur, modo prudenter interpretemur. Legimus post Orchiam latam, quum auctoritatem novae legis aucta necessitas imploraret, Fanniam latam esse. Utraque tempore exolevit: tum Didia lata est et post abrogata a Duronio. Cujus in locum, nullâ fere interpositâ morâ, injussu populi successit Licinia, quae paucis mutatis in plerisque cum Fannia, situ atque senio obliterata, congruebat. Itaque novae hujus legis auctoritate, quae antea Fanniae ferendae causa fuerat, ipsius Fanniae exolescentis capita denuo stabilita sunt. Quod si tenemus, facile Macrobii verba *exolescente metu legis antiquioris* ad legem Fanniam referri oportere intelligimus, simul vero minuitur optimatum,

---

1 *Saturn.* II, 13.

arbitratu suo Liciniam perferentium, immoderata licentia, qui obliteratam instaurare, non novam rogare censerentur.

Altera difficultas haec est. Mirandum enim, cur tam sero a Duronio lex Didia abrogata sit, quum sex et quadraginta annis ante latam esse constet. Quod ut explicetur, Appiani locum referre placet. Is narrat antiqua lege, fortasse Genucia, vetitum fuisse ne pecunia in usuram mutuo daretur, eâdemque in foeneratores poenam constitutam. Ea lege oblivioni mandata, quum creditoribus usuras flagitantibus debitores, legis auctoritate usi, negarent, praetor Asellio difficultatem, quae ex pugna legem inter et morem obtinebat, ad judices rejecit [1]. Intelligitur facile ex hoc exemplo fieri consuevisse, ut lex, quae negligentiâ magistratuum jacuisset, denuo invalesceret. Sed quod hîc de lege foenebri memoratum videmus, ut, postquam ex usu recessisset, induceretur rursus, id multo facilius in legibus sumtuariis usu venire poterat. Etenim censores, qui morum disciplinam tueri et animadvertere in flagitiosos et luxuriosos cives debebant, legem nondum antiquatam, si necesse ducerent, adhibebant, etiamsi decessorum incuriâ in oblivionem abiisset. Lex igitur Didia, tempore evanescens, videtur a censoribus M. Antonio et L. Flacco denuo in memoriam et usum revocata esse, quum immoderati et illegitimi conviviorum sumtus necessario coër-

---

1 *App. De bello civ.* I, 54. Non narravit quidem, quae sententia a judicibus lata sit, sed patet inde, rem adeo anxipitem Praetori visam, ut judicium a se amovere maluerit.

cendi essent. Quod cum illi instituissent, Duronius tribunus plebis sustulit gravi oratione et molestâ censoribus omnem pugnam, quae inter scriptum jus et quod consuetudine niteretur intercedebat. Censores vero, alia omnia suspicati, indignati sunt legem a Duronio antiquatam esse; quo factum, ut eum senatu moverent. Hac quidem interpretatione plenissime mihi videor haud levem difficultatem sustulisse. Intelligitur enim jam, quomodo Duronius de antiqua lege, quae lata ante quadraginta sex annos fuerat, tanquam de novâ disserere potuerit. Neque tamen eadem interpretatione nostra ullo modo infirmantur, quae supra de lege Didia non pariter atque Fannia et Licinia obliterata, disputavimus. Videtur enim, postquam lata fuit, perpetuo vim habuisse, nec nisi perbrevi ante Antonii et Flacci censuram amisisse. Jam igitur computemus annos.

572 (182) Lex Orchia lata.
593 (161) « Fannia « a Fannio cos.
611 (143) « Didio « a Duronio, ut videtur, praetore.
657 (97) « Didia abrogata a Duronio trib. pl.
» » « Licinia lata a P. Lic. Crasso Divite cos.

Quae quum ita esse ratio ipsa evincat, Lucilius, Liciniae legis mentionem injiciens, post annum 657 (97) vixit. Sed praeter illud argumentum, quod e mentione illius legis petivimus, aliud afferri potuerat, quo fides Hieronymi frangitur. Cicero enim in Bruto: « ita tacitus (Crassi) tribunatus, ut nisi in eo magistratu coenavisset apud praeconem Granium, idque bis nobis

narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse [1]. » Cujus in loci scriptura variant codices, nonnulli omittentes *his*, alii *nobis his* exhibentes. Id tamen moniti non dubitabimus, *his* ineptissimum esse, nec tamen rejiciendum, sed ortum esse ex IDQ VERIS NOBIS. Quare legi oportet *idque pueris nobis*, ut saepius et in hoc libro et in aliis scriptum exstat [2]. Intelligitur autem sponte Ciceronem, 648 (106) natum, vix memoriâ postea tenere potuisse, quae bimus a Lucilio accepisset; quod omnino statuamus necesse est, si obiisset poëta 651 (103).

Hîc vero in Clintonem incidimus, fines, ultra quos progressa vita non sit, ponentem. Apparere enim perhibet e Crassi verbis de Orat. I, 16, II, 6, de mortuo eo sermonemibi esse. Dialogus autem cum habitus a Cicerone fingatur 663 (91), ante eum annum obierit necesse esse. Quare probat Tatii [3] conjecturam, suspicantis obiisse poëtam LVI, non XLVI, ut apud Hieronymum est, annos natum; itaque et ante annum 606 (148) natum et post 651 (103) mortuum esse [4]. Partim quidem vere; nam, ut nihil opus est de natali anno ab Hieronymo discedere, ita posterius dignum erit, quod accuratius mox consideretur. Nunc, quod similiter praetermissum esse miror ab aliis, hîc exploremus.

---

1 C. 43, 160.

2 C. 26, 99. 32, 122. 33, 127. *Orat. pro Scauro* 23. *De Orat.* II, 1.

3 *J. Tate Horatius restitutus.* Ed. 1837, p. 46.

4 *Fasti Hell.* I, 426 in *Add.* et *Corr.* ad vol. III. Idem jam animadverterat *Müller* ad *Cic.* l. l. p. 51.

In operis enim fragmentis [1] Calpurniae legis mentio fit his verbis:

Calpurnî saevam legem Pisoni' reprendi
Eduxique animum in primoribu' naribus —

Ad hoc fragmentum annotavit Dousa p. 131. «Est haec lex, nisi fallor, Calpurnia de ambitu: quam C. Calp. Piso cos. tulit: in qua, praeter alias poenas, pecuniaria quoque erat adjecta; cui legi ob nimiam ejus severitatem aliquid derogatum postea videtur innuere Cicero in oratione pro Cornelio.» Haec statuens ille debuerat mentionem facere legis in vita Lucilii, et proferre mortis terminum. Ac magnopere quidem nostra interest scire, num recte viderit Dousa, quoniam sic necesse sit ad annum 687 (67) aetatem Lucilii proferre. Leges Calpurniae duae solebant memorari. Altera est de pecuniis repetundis rogante tribuno plebis L. Calpurnio Pisone 604 (150), altera de ambitu consularis lata 687 (67) a C. Calpurnio Pisone. Duas alias his addidit Pernice [2]; cujus alteram memorat Gajus: [3] *Haec legis actio* (condictio) *constituta est per legem Siliam et Calpurniam: lege quidem Silia certae pecuniae, lege vero Calpurnia de omni certa re.* Alterius memoriam Nonius his verbis servavit: *Milites ut lex Calpurnia concesserat virtutis ergo civicâ* (coronâ) *donari* [4]. Postremae duae ad quos annos sint referendae

---

1 XX, 4.

2 *Ersch Encycl.* v. leges.

3 IV, 19.

4 Eam quoque habet *August. de legg.* (*Graevii Thes.*

incertum est. Suspicor eam, quam Nonius memorat, non multum antecessisse bellum Marsicum 664-666 (90—88), quoniam ejus mentionem e quarto Sisennae historiarum libro repetit, quo illud bellum descriptum esse e fragmentis putet. Video Pernicem Dousae consentire in eo, quod Lucilii loco legem Calpurniam de ambitu significari putet. Neque vero ratio est, cur rem in dubium vocemus. Etenim vix fieri posse videtur, ut praeter eam ulla e ceteris tribus *saeva* dicatur. Contra, quae lata est de ambitu, *severissime scripta* Ciceroni vocatur [1]. Quo vero magis mihi persuadeam hanc esse, quam velit Lucilius, facit posterior ejus versus, cujus hic est sensus: *saevam legem Calpurniam reprehendendo tantum non mortis poenas lui.* Possunt ista verba dicta intelligi a legis Calpurniae dissuasore, fortasse P. Servilio Globulo [2]. Nam constat non sine gravi tumultu ac partium contentione ex SCto latam a Pisone cos. fuisse, quem novimus propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro ejectum, deinde majore manu stipatum ad legem invito populo [3] perferendam descendisse [4]. Ac fertur quidem senatus propterea summa festinatione legem Calpurniam ferendam curavisse, quod C. Cornelio tribuno plebis aliam eamque

---

Antt. Rom. II, 167.) addens: « quod de auxiliis intelligendum est: non dissimilis est Gellia »

1 *Pro Mur.* 23, 46.

2 *Ascon. in Cornel.* p. 57.

3 *Cic. pro Corn.* p. 74. *Populus . . . legem Cornelii flagitabat, illam, quae ex SCto ferebatur, repudiabat.*

4 *Id. eod.* p. 75. Cf. *Dio Cass.* XXXVI, 21. 22.

multo graviorem ex populi sententia roganti resistere volebat, metuens ne, hac jussa, aut defuturi essent, qui ambitûs reos accusarent, aut, si invenirentur, severas poenas reis infligere judices detrectarent [1]. Sancitae Calpurniae videtur non diu post derogatum esse [2], quamvis, quae secuta est Tullia, a Cicerone consule lata, pristinam severitatem non modo vindicavit, sed auxit; quippe, quod Cornelium jam ante meditatum fuisse opinor, decem annorum exsilium prioribus capitibus adjecit [3]. Itaque hac quidem aequior Calpurnia, ipsa tamen severa fuerat [4]. Hinc autem efficitur, jure statui posse, non aliam a Lucilio significatam legem fuisse quam Calpurniam de ambitu. Ejus igitur aetas annum, quo lata est, 686 (86) excessit; num vero post diu superstes fuerit, nullis testimoniis docemur.

Et sic quidem accedimus ad Horatium, qui Lucilium *senem* appellavit. Viderat jam Dousa, obstare hoc indicium Hieronymiani Chronici fidei. Idemque cogitabat Servitullianum lustrum, ut in concordiam Horatium et Chronici scriptorem redigeret [5]. In quo sane erravit multisque errandi culpam conflavit. Recte monuit Varges *seniorem* non cum *sene* confundi oportere, et vanam eam esse in Horatio notationem

---

1 *Dio Cass.* l. l.

2 *Cic. pro Corn.* p. 68.

3 *Schol. Bob. ad orat. pro Sulla*, p. 361.

4 *Ead. ad or. pro Planc.* p. 269, *pro Sest.* p. 309, *in Vatin.* p. 324. *Asc. in orat. in tog. cand.* p. 83.

5 *Fragm. Luc.* p. 98 b. Eodem anno (1597) *Cruquius ad Horatium* p. 411a eandem opinionem edidit.

antiquariam. Aliam explicationem quaesivit Casaubonus [1], non aetatem, sed argumenti poëtici, in quo se exercuerit, gravitatem respici ab Horatio putans. Quem et cum eo facientem Wuellnerum refellens, suam Varges sententiam aperit. Existimat senectutem hanc de aetatis non *diuturnitate*, sed *discrimine* interpretandam esse et adjunctam habere quandam honoris significationem; itaque sene significari antiqui sive prisci aevi virum. Quam verbi potestatem etsi docte, aliunde sumtis exemplis, illustret et firmet, tamen optimum verborum suorum interpretem Horatium mallem consuluisset, quam alios adiisset. Etenim hic fere semper eo sensu *priscum* dixit v. c. *Prisco Cratino.* — *Prisci Catonis.* — *Priscis Catonibus atque Cethegis* [2], nunquam vero usurpat *senem*, quin interpretari de aetate ipsa possis. Quo refero illud:

— *aufert*
Pacuvius docti famam senis, Accius alti [3]:

uterque enim senili aetate exstinctus est. Quid? quod simillimo prorsus exemplo contendere nobis licet, eam, quam Varges urget, honoris significationem apud Horatium senectuti concedi non licere. Nam scripsit:

— *Hic neque servis*
Albuti senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit [4],

---

1 *Ad Persium* I, 124.

2 *Epist.* I, 19, 1. *Od.* III, 21, 11. *Epist.* II, 2, 117, passim. Ita *Lucil. Fr.* XIV, 7 *Vetus ille Cato.* Non nego *seniorum poëtarum turbam* de antiquis cum quadam gravitate dici *Sat.* I, 10, 67, sed *senex* non pariter usurpari.

3 *Epist.* II, 1, 56.

4 *Sat.* II, 2, 67.

ubi *senex* aperte senilem aetatem et turpiculo quidem sensu indicat. Malumus igitur accipere vocabulum, ut accipiendum est apud Persium [1], ubi *praegrandis senex* Aristophanes dicitur propter aetatem, quam valde provectam attigit. Itaque, his rationibus moti, octogenario majorem obiisse Lucilium statuimus.

Molestus fui, fateor, vitam Lucilii, non vitae terminum scire cupientibus. Fero, eoque facilius feram quo certius vera me vidisse intellexero. Sed his jam pluribus enarratis, quum extremos fere annos, quos intercucurrit Lucilii vita, cognoverimus, operae pretium esset eam sic exhibere, ut praecipua fata ordine tradita paterent. Quaerimus enim de poëtae aetate, qui octogenario major vitâ decessit, neque otiosus domi palluerat, sed ingenii animique vires contulerat ad civitatis suae salutem curandam indeque praeclaram adeptus est nominis famam. Atqui hoc functuros munere non animus sed materia deficit, quae rara et sparsa, vix ad certos annos revocari potest. Quamobrem ea, quae nobis aetas servavit, conabimur in luce ponere, neque exornantes quae fidem veris detrahant, neque eorum, quae scire intersit, quidquam tacentes.

C. Lucilium [2], Suessae in Auruncorum agro

---

1 *Sat.* II, 1, 124.

2 Sic scribi nomen oportere praeter *Dousam ad Luc. Fr.* p. 97 doctissime indicavit *Varges* singulari disquisitione laud. p. 8.

natum esse, satis gravia sunt indicia. Dudum observatum est, ab Ausonio, ubi *rudes Camoenas Suessae* a Tetradio, satirico poëta, superatas scribit [1], Lucilium significari [2]. Neque tamen hinc prorsus de patria constabat, quoniam, probabilitatem secutus, Scaliger errare, et alius satirici poëtae obscura ab Ausonio mentio facta esse poterat. Parum evidentior esset Juvenalis locus [3]:

Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
Si vacat et placidi rationem admittitis, edam.

Sed omnis ibi dubitatio, quae ex veterum interpretum haesitatione, de Turno, Lenio, Silio Auruncanis cogitantium, orta fuerat, sublata est editis vetustis in Juvenalem commentariis. Ibi enim legitur: *Magnus quoad ingenium. Dicit de Lucilio, qui fuit ex Affrunca civitate.* Neque hinc perturbatur Scaligerie Su essa conjectura, quasi alius apud Ausonium intelligendus esset. Etenim duplex nomen eidem Auruncorum civitati fuisse cognovimus, ita ut antiquius Suessa, recentius Aurunca appellaretur [4]. At-

---

1 *Epist.* XV, 9.

2 *Jos. Scal. Lectt. Auson.* II, 11, p. 162.

3 *Sat.* I, 19.

4 *Livius*, VIII, 15. Quod vero *Baylius Dict. Hist.* v. Lucile, p. 200 (A) tradidit, veteres commentatores Juvenalis Britannicum et Farnabium *Aruncam* s. *Auruncam Rutulorum* Lucilio natalem locum tribuisse, erravit. Prior simpliciter apud Aruncos natum refert, posterior prorsus tacet. Cf. *Juven.* Ed. Hennin. p. 413 a, 759 a. Plura de patria vide disputantem *Vargem* l. l.

que ita quidem falli compertum est, qui aut Suessae Pometiae, aut Canusii natum existimarunt[1] aut Sarcitium somniati sunt[2].

Honesto genere ortum esse Lucilium, probant Horatius ejusque interpretes. Ille enim *se infra Lucilii censum* esse fatetur[3]; ad quem locum interpres: « h. e. etsi non sum eorum natalium, quorum Lucilius fuit. Constat enim Lucilium majorem avunculum Pompeji fuisse. Etenim avia Pompeji soror Lucilii fuerat[4].» A quibus dissentire videtur interpres verborum *nostrum melioris utroque*[5], explicans: « qui melior fuit et te et me, o Trebati, censu et natalibus: fuit enim vir bonus et valde nobilis, utpote magni Pompeji avus[6].» Verum expedita erunt omnia, ubi animadverterimus, post *avus* apud interpretem sequi *Lucilii ritu*; unde promptum est conjicere, proximi verbi similitudine absumtas esse ultimas praecedentis syllabas, ac restitui proinde oportere *Pompeji avunculus*. Pariter manifestum erit, cur, quum *avus* corrupte legeretur, simul vera lectio *magnus* in *magni* abierit; ne scilicet Lucilius magnus Pompeji avus putaretur. Controversiam autem movit Dousa, qui, Velleji Paterculi fide, eum

---

1 *Gyrald. De poëtt. Gr. et Lat.* p. 192. Error inde manavit, quod Horatianum *Sat.* I, 10, 30 *Canusini more bilinguis* de eo interpretati sunt.

2 *Auctar. Comm. Cruq.* p. 690 b. Recte emendavit *Dousa ad Luc. Fr.* p. 120 Satiricus.

3 *Sat.* II, , 75

4 *Comm. Cruq.* p. 409 a.

5 *Hor.* l. l. 29.

6 *Comm. Cruq.* p. 108 a.

magnum quidem Pompeji avunculum, sed ex fratris filia, non sorore, fuisse contendit; non enim aliter illa explicari posse verba ejus de Cn. Pompejo: *Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae*[1]. In quam sententiam adductus Ant. Augustini animadversione, matrem Cn. Pompeji ex fratre C. Lucilii poëtae natam autumantis[2]. Vossius vero Corradi exemplo arbitratus, per Lucilium poëtam Luciliam familiam factam esse senatoriam, propterea quod Lucilia, Cn. Pompeji mater, senatoria stirpe progenita fuit, addit: « Haec vero patruum habuit Lucilium poëtam: itidem Luciliam dictam, sororem poëtae Lucilii, ut Lucilius Cn. Pompeji fuerit avunculus magnus[3]. » Quorum verborum sensum fateor me non intelligere. Difficultas autem quae sit, perspicuum est. Lucilii enim soror inito matrimonio Luciliae nomen deponebat, assumebat gentile mariti nomen; quare filia ex his nuptiis nata, non poterat Luciliae nomen habere, quod Pompeji matri fuisse ex Vellejo constat. Itaque rem dirimere sibi visi sunt interpretes, statuentes, veteris interpretis errore Pompejum ex Lucilii sorore maternum genus duxisse, quum ex fratre ejus ortus dici debuisset, cujus filia Luciliae nomen tueretur. Veruntamen tam diserta sunt interpretis verba, ut si explicari ejus sententia commode possit, fides ei neganda non videatur. Lucilia gens num plures familias complexa sit, ignora-

---

1 *Hist.* II, 29.

2 *Dousa ad Luc. Fr.* p. 97.

3 *De Poëtt. Lat.* p. 12 (Opp. III, 233 b.)

mus: Balborum quidem familia satis nota erat ac nobilis. In hanc igitur si statuamus Lucilii sororem transiisse, filiae ex hoc matrimonio natae mansit Luciliae nomen, donec nuberet Cn. Pompejo Straboni, Pompeji magni patri. Vindicari ita antiquitatis fides potest. Sed quaeritur, cujus familiae Lucilius poëta ejusque quae celebratur soror fuerit. Torrentius quidem e Bassorum familia ortos existimavit, ipsumque Lucilium apud Ciceronem [1] *Bassum* appellatum inveniri [2]. Quam ejus opinionem nec quisquam secutus est et temerariam prorsus esse contendimus; nam merito miraremur, Ciceronem, qui saepius Lucilium memorat, aliosque multos scriptores ejus cognominis nullam uspiam fecisse mentionem. Aut igitur idem existimandus est, qui alibi [3] simpliciter Bassus vocatur, aut, quod aliis probabile visum est, corrigendum gentile nomen in *Caecilium*, in qua gente Bassorum familiam fuisse constat. Quamobrem tutius est iis assentiri, qui familiae nondum illustri a Lucilii ingenio et celebritate primam commendationem accessisse existiment: nam peramplam et locupletem fuisse, quis Pighio [4] leviter statuenti concedat? Equestri autem ordini eundem poëtam adscriptum fuisse etsi verum sit, tamen, miro artificio usi, multi docuerunt. Nam adhibuerunt Velleji verba, qui Numan-

---

1 *Epp. ad Att.* XII, 5. *Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium sua.*

2 *Ad Hor. Sat.* I, 4, 6.

3 *Epp. ad Fam.* VII, 20.

4 *Ann.* III, 31.

tino bello *equitem* militasse scripsit [1]. Cujus vocabuli falsa interpretatione Dousa generis nobilitatem vel ex solo hoc loco plánam esse pronuntiavit [2]. Errorem Baylius sustulit, de equestri militia, non equitum ordine explicandum esse ratus. Potius inde efficias equitibus adscriptum fuisse, quod publicanus fuit [3]; publicis autem vectigalibus soli equites praeficiebantur.

Suessae igitur Auruncorum honesto genere natus, videri potest, ut Vargi placuit, natali loco puerilem aetatem usque ad tertium decimum aetatis annum transegisse, quo tempore Romam delatus Scipioni innotuit, qui eum secum in Hispaniam duxit. Ibi tirocinia positurus admodum adolescens, valde matura aetate belli spectaculo assuefactus est. Quod cum singulari a Numantinis magis quam a Romanis fortitudine adhuc gestum esset, ita supremo tempore majore utrinque alacritate et pertinacia agitabatur. Eluxit autem praecipue Scipionis Africani virtus, quod belli fulmen recens deletae Carthaginis memoria augustius suis, hostibus terribilius reddebat. Quamquam eundem Scipionem, fortissimum ac severissimum imperatorem, exquisita quaedam humanitas juventuti, quam secum in castris habebat, commendabat. Eamque naturalem ingenii bonitatem, quam in eo admirati sunt qui eum cognoverunt, excoluit et illustravit bonarum artium amor. Quippe eum accipimus tam elegantem liberalium studiorum omnisque doc-

---

1 *Hist.* II, 9, 4.
2 *Ad Luc. Fr.* p. 97.
3 *Lucil. Fr.* XXVI, 6.

trinae et auctorem et admiratorem fuisse, ut Polybium Panaetiumque, praecellentis ingenii viros, domi militiaeque secum habuerit. Neque eum quisquam — nam quidni memorem ipsius Velleji verbis? — hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus. Semper inter arma ac studia versatus aut corpus periculis aut animum disciplinis exercuit [1]. Ac Socraticum Xenophontem assidua lectione frequentabat, ejusque *Κύρου παιδείαν* de manibus ponere non solebat [2]. Quid igitur mirum, si tanti viri, quem et avitis P. Africani paternisque L. Pauli et vero suis ipsius exornatum virtutibus admiramur, singulari amabilitate capta juvenum ingenia fuerint? si, quem ob imperatoriam dignitatem suspicere consuessent, eundem ad festivi nec propria quadam ac Socratica ironia carentis [3] sermonis voluptatem pronum diligerent? In quibus adolescentulis fuere, qui advertere ceterorum ingenia et incendere optimarum rerum studiis deberent. Duos memoravimus, ejus belli, cui interfuerunt, postea scriptores, Sempronium Asellionem et P. Rutilium Rufum [4]. Hunc praesertim volo, cui ut viro

---

1 *Vell. Pat.* I, 13, 3. *Idem* 12, 3. *Vir omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac studiorum eminentissimus seculi sui, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit ac sensit.*

2 *Cic. Tusc. Q.* II, 26, 62. *Epp. ad Q. Fr.* I, 1, 8, 23.

3 *Id. Acad.* II, 5, 15. *De Orat.* II, 67, 270. *Brut.* 87, 299. Servavit nobis Cicero ex hujus belli memoria Scipionis dictum in C. Metellum Caprarium. *De Orat.* II, 66, 267.

4 Vitam ejus cum alii scripsere, tum *Ant. Loisel vie*

vix parem sua aetas tulit [1], ita adolescenti jam in Scipionis castris hujus optimi imperatoris exemplum admirationem et aemulationem movisse suspicor. Gratus enim illi fuit, quippe et quadam naturae similitudine conjunctus et studiorum ardore magnopere commendatus. A philosophiae studio non abhorrebat, qui Panaetii deinde audito rfuit, et perfectus in Stoicis celebratur a Cicerone. Quin, ut ab eodem narratum legimus, cui ipse Rutilius commemoraverat, etiam sub ipsis Numantiae moenibus cum Scipione solebat interdum coelestia conquirere [2]. Quarum rerum disciplina, quam ipse Africanus a Panaetio tenebat acceptamque ei referebat, vix dici potest, quantum ei cognoscendi hujus principis Stoicorum ardorem excitare debuerit. Attamen huic rerum excelsarum meditationi ac perscrutationi frequens conjuncta fuerit de omni virtutis honestatisque genere sermo, quo factum sit ut, prudentissimo magistro eodemque candidissimo amico usus, jam tum futurae magnitudinis animique constantiae et innocentiae principiis imbueretur ac semina susciperet. Quodsi tam efficax ejus clarissimi viri et exemplum et amicitia fuisse putanda est, haud minus momenti habuerit ejusdem singularis fortunae societas ad Lucilii ingenium et erigendum et excolendum. Neque enim, si deessent

---

de P. Rutilius Rufus, JCte Stoicien, et le Socrate Romain. (*Meermanni nov. Thes. Jur.* I, 359—364).

1 *Vell. Pat.* II, 13, 2. *Vir non seculi sui, sed omnis aevi optimus.* Magnificae laudationi consentit antiquitas.

2 *Cic. de Rep.* I, 8, 11.

testimonia, magis dubium foret, quin eodem amore hunc prosecutus sit Scipio, quam credibile est, illâ armorum studiorumque sodalitate, quae juvenem cum juvene conjungebat, non excitatum Lucilium fuisse, ut digne Rutilii laudes aemularetur. Sed Horatius nobis testis est, quem lubentur accipimus sic referentem [1]:

Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laelî,
Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti.

Quem locum ita commentatur interpres [2]: « ubi se a publico conspectu intra suos parietes removerant, Scipio et Laelius jocari solebant cum ipso Lucilio, expediti majoribus negotiis et depositis seriis. Scipio Africanus enim et Laelius feruntur tam fuisse familiares et amici Lucilio, ut quodam tempore Laelio circum lectos triclinii fugienti Lucilius superveniens eum obtorta mappa quasi feriturus sequeretur. » Cognoscitur ex his, qualis fuisse existimanda sit amicitia, quae, parta Numantino bello, confecto eo Lucilium Laelio quoque conjunxit, vehementerque conciliavit. Nam tam arcta cernebatur consuetudine et ad tantam remittebatur familiaritatem, ut, rebus in foro peractis, quum se in villam contulissent, mutata veste ad ludum se Lucilio darent. Intelligitur autem simul, quam frugalis esset ac perquam simplex vitae ratio, quam viri illi agerent, quibus olus sufficeret [3]. *Secreta*

---

1 *Sat.* II, 1, 71 sqq.

2 *Comm. Cruq.* p. 409 a.

3 De Laelii frugalitate cf. *Cic. de Fin.* II, 8, 24.

autem *loca*, ab Horatio memorata, causa est cur ad villam quam ad urbanam domum referri malim. Namque primum illam frugalitatem vix viri ea conditione ac dignitate in urbe tueri poterant. Deinde vero testis est Cicero [1], Laelium semper fere cum Scipione rusticari eosque incredibiliter repuerascere solitos, cum rus ex urbe tanquam e vinculis evolavissent, conchasque et umbilicos ad Caietam et Laurentum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendisse. Erant autem Scipioni praeter suburbanos hortos villae Tiburtina et ad Laurentum [2].

Sed revertamur in Hispaniam, ubi sic jam placuisse Scipioni Africano minori Lucilium adolescentem, ut ante illic majori Scipioni placuisset Ennius, jam natu grandior [3], facile nobis persuademus. Numantiae obsidio, ex quo illuc cum exercitu profectus erat Scipio, duravit annum et tres fere menses: tum desperata salute Numantini, fame enecti, urbem dediderunt. Subversa vero urbe quaeri possit, num Romam contenderit Lucilius. Negat Palmerius, e duobus poëtae fragmentis conjecturâ motus: altero

Annos hic terra jam plures miles Hibera
Nobiscum meret [4] —

altero:

---

1 *Cic. de Orat.* II, 6, 22.

2 *Id. de Nat. D.* II, 4. *De Amic.* 7. *De Rep.* I, 9. *Phil.* II, 42, V, 7. *Macrob. Saturn.* II, 12. *Val. Max.* VIII, 8, 1.

3 *Claudian. de sec. Cons. Stilich. Praef.* 12.

4 *Lucil. Fr.* XI, 9.

— *dum miles Hiberus*
Terras, ac meret ter sex aetate quasi annos[1];

unde manifestum putat, diu in Hispania Lucilium fuisse; ex qua opinione locum priorem, sic ut edidimus, restituere conatus est. Ter sex anni tanquam aetas ei dictum videtur; quare duodeviginti annos in Hispania Lucilius fuisset[2]. Quam leve hoc argumentum sit, intelligitur, siquidem verba ea non Lucilii sed alius apud eum dicentis esse potuerunt. Non igitur magnopere iis fidem habet Varges, cui tamen verisimilius est, Lucilium in Hispania quaestori cuidam contubernalem fuisse, suspicato ex his versibus:

Publiu' Pavu' mihi Tuditanu' quaestor Hibera
In terra fuit lucifugu', nebulo, id genu' sane[3].

Sed multo equidem probabilius puto, referri haec ad praetorem oportere, praedicantem qualis sibi ea in regione quaestor fuisset. Utut est, ignoramus utrum aliquantisper in Hispania manserit, an Scipionem, confecto Hispaniensi bello, triumphantem Romam secutus sit. Ea quidem, quae supra disputavimus[4], attendentibus hoc quam illud verisimilius puto fore.

Ignoramus quem aetatis annum attigerit Laelius; Scipionis vero morte, quae 625 (129) quadriennio post reditum ex Hispania accidit, orbatus est insigni hujus viri amicitia Lucilius nondum viginti annos natus. Sed quum hujus desiderium superstitis illius

---

1 *Eod.* XV, 10.
2 *Spicil.* p. 786. (*Grut. Lamp.* IV).
3 *Lucil. Fr.* XIV, 3.
4 p. 15.

consuetudo levaret, tum alios nactus est amicos, in quibus credo Panaetium fuisse nondum, ut videtur, Athenas delatum [1], memorantur certe L. Licinius Crassus orator, Albinus, Fundius, L. Aelius Stilo, Q. Granius praeco. Praeterea Laelius, Archelaus, Vectius et Q. Philocomus ejus familiares a Suetonio dici putantur [2]. Atque e Crassi quidem apud Ciceronem verbis [3], dicentis Lucilium hominem fuisse Scaevolae auguri subiratum sibique propter eam ipsam causam minus, quam ille vellet, familiarem, intelligitur amicitiae nocuisse quidem alieniorem Lucilii a Scaevola animum, non vero sublatam fuisse. Albinum, Fundium, Aelium Stilonem propterea in amicorum numero ponimus, quod eos in satiris amice compellatos videmus. Primus quis fuerit, cum plures memorentur, difficile est dictu. Dousa Sp. Postumium Albinum intelligit, qui cos. cum L. Calpurnio Pisone fuit 605 (148), et multas orationes scriptas reliquit [4]. Broukhusius A. Postumium Albinum, qui cos. fuit cum M. Antonio 655 (99). Attamen favere non negat Dousae opinioni, quod est in Ciceronis Catone [5]. Qua in re fallitur; nam is, teste Livio [6], augur mortuus est 574 (180), antecessit ergo ejus mors natales Lucilii. Intelligi igitur is potest, quem vo-

---

1 *F. G. Van Lynden de Panaet.* p. 47.

2 *De Ill. Gr.* I. *Gronov.* Conjecit Laelius Archelaus, Vettiusque Philochorus.

3 *De Orat.* I, 16, 72.

4 *Ad Luc. Fr.* p. 99.

5 III, 7. *Burmann. Anthol. Lat.* I, 570.

6 XL, 42.

luit Broukhusius, quamvis certi quid pronunciandum non sit, quia simpliciter Albinus apud Lucilium appellatur [1]. De Fundio plane nihil constat. Teste Prisciano [2] Lucilius ejus nomini XVI aut XIV satirarum librum inscripsit. Aelium Stilonem uberior veterum mentio notum fecit [3]. Sed ne jaceat inornatus Q. Granius praeco, facetissimus vir ac verissima antiquae Romanae et vernaculae festivitatis imago. Cum eo multum fuisse Lucilium eosque se invicem urbanis salibus lacessivisse cum per se sit credibile ob luxuriantis ingenii cognationem, tum eo probatur, quod conjunctim utriusque fit mentio [4]. Et Crasso quidem aliisque principibus in civitate viris probatus fuit ac familiaris, ut ipsius existimationi minime muneris obscuritas officeret. Neque vero ex humili conditione in principum gratiam adulatione irrepsit, qui dicacitate excellens libere ea utebatur, quandocunque abutentes potestate et auctoritate optimates animadvertebat [5]. In quo officio non poterat non vehementer placere idem liberrime ingeniosissimeque instituenti Lucilio, qui saepenumero eum memorasse in satiris narratur [6]. Quin exstat hujus rei vestigium in fragmentis:

---

1 *Lucil. inc. fr.* 1.

2 *Gramm.* III, 2. p. 108 Krehl.

3 Cf. *Disp.* mea de eo. Traj. 1839, coll. quae in libri censuris notarunt *Bähr* (*Heid. J.* 1839 p. 774—781), *Lersch* (*Z. f. Alterth.* 1839 p. 403—408). *Münch. Anz.* 1839 p. 777 sqq.

4 *Cic. ad Fam.* IX, 15, 2.

5 *Id. pro Planc.* XIV, 33.

6 *Id. Bruto* 46, 172.

— *et jam*
Conjicere in versus dictum praeconi' volebam
Grani [1].

ubi Carrio, jure an injuria nescio, Granii facete dictum de inglorio Crassi tribunatu cogitabat [2].

Reliqui, a Suetonio memorati, vereor ut recte in familiarium coetum referantur. Locum ejus describam, quo manifestior sit emendandi ratio. « Hactenus tamen imitati (nostri Crateteum morem), ut carmina, parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam caeteris nota facerent: ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum —; ut postea Q. Vargontejus Annales Ennii, quos, certis diebus, in magna frequentia, pronunciabat; ut Laelius Archelaus, Vectiusque Philocomus Lucilii satyras, familiaris sui: quas legisse se apud Archelaum Pompejus Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant. » Promtum est videre, diversam rationem fuisse commendandorum Ennii Annalium et Lucilii satirarum: illos enim publice in magna hominum corona pronunciabat Vargontejus, has privatim domi suae [3] Archelaus ceterique exponebant. Quibus vero? num

---

1 *Lucil. Fr.* XI, 6. Cf. *inc. fr.* 179.

2 *Emend.* I, 4.

3 Ennius antea *domi forisque* i. e. ut recte nos monuit *Fr. Ritter* (*Zeitsch. f. Alt.* 1840 no 45.) domi suae et in alienis domibus docuerat. Cf. *De Ill. Gr.* 1 Cujus exemplum utrum hi omnino secuti, an domi tantum suae docendi munere functi sint, non patet.

omnibus qui eas cognoscere averent? Non videntur; sed familiaribus suis legendo et commentando eas notas fecerunt. Procul dubio igitur legendum *familiaribus suis*, qui dativus compendio literarum facillime in genitivum singularem abire potuit. Itaque etiamsi Lucilii aequales fuere viri illi literati, tamen nullo modo familiaritate aut amicitia ejus videntur floruisse.

Tandem memorandus est Clitomachus, cujus mentionem fecit Cicero. Scripsit enim: « explicavi, Clitomacho auctore, quomodo ista Carneades diceret. Accipe, quemadmodum eadem dicantur a Clitomacho in eo libro, quem ad C. Lucilium scripsit poëtam, quum scripsisset iisdem de rebus ad L. Censorinum eum, qui consul cum M' Manilio fuit [1]. » Permagni hujus rei memoria est; verum num qua fuerit utrique se invicem videndi et cognoscendi opportunitas, non liquet; nam neque Romam Clitomachum neque Athenas Lucilium delatum fuisse cognovimus. Si illud evenisset, clari philosophi adventum literae latinae non siluissent, quae aequalium et recentiorum philosophorum Romae commorationem nunciarunt. Quare, nisi statuas ignotum ignoto honoris causâ librum misisse videri, in eam opinionem adducimur ut suspicemur, Lucilium aliquando Athenas visisse ibique ridiculae isti salutationi praetoriae [2] 634 (120), quam carmine retulit, inter-

---

1 *Acad.* II, 32, 102. Suspicor Clitomachum Carthagine Athenas profectum esse initio belli Punici III a. 605 (149), ne patriam bello vastatam videret. Incredibile vero dictu, ipsi Censorino librum ab eo inscriptum esse, qui consul illud bellum exorsus est!

2 *Id. de Fin.* I, 3, 9.

fuisse. Quod si audacius dictum videatur, Panaetius certe, Româ Athenas profectus ut Antipatro Tarsensi in Stoicam scholam succederet, Romanorum juvenum laudes, qui sibi studii ardore probati fuissent, eodem propagavit. Atque ea quidem causa fuerit Clitomacho, Carneadis successori 625 (129), ut Lucilium singulari dedicationis honore ornaret.

Cum his igitur, quos memoravimus, aequalibus Lucilius amicitias iniit. Sed num administrandae reipublicae expers fuit, qui Numantiae affuerat? Moneor hoc loco dubia proferre, quae ad liquidum perducere non licet. Pighius [1] enim, secutus eorum sententiam, qui per Lucilium senatoriam factam ejus familiam et ad capessendos honores evectam fuisse statuerent, hos eum magistratus gessisse arbitratur: quaesturam 627 (127), praeturam 637 (117). Sed sive his muneribus re vera functus est, sive privatus Romae degit, referam quod post illud tempus accidisse novimus. Legitur apud Ciceronem: « Nihil magis ridetur quam quod est praeter exspectationem: cujus innumerabilia sunt exempla, velut Appii majoris illius, qui in senatu, quum ageretur de agris publicis et de lege Thoria, et premeretur Lucilius [2] ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent: *non est*, inquit, *Lucilii pecus illud: erratis:* (defendere Lucilium videbatur) *ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur* [3]. » Haec Appii verba, a Caesare oratore lau-

---

1 *Ann.* III, 31, 90, 95.

2 Codd. Lucullus, Lucillus, mox Luculli, Lucilli.

3 *Cic. de Orat.* II, 70, 284.

data, subobscura sunt. Quae priusquam exploremus, de lege Thoria, qualis fuerit, videamus. Agrariam fuisse patet e Cicerone, qui «Sp. Thorius, ait, satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit[1].» Porro apud Appianum his verbis legis agrariae a Sp. Borio latae mentio fit: *Σπούριος Βόριος δημαρχῶν εἰσηγήσατο νόμον, Τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς· ὅπερ ἦν μέν τις τοῖς πένησι παρηγορία διὰ τὰς διανομάς· ὄφελος δ'οὐδὲν ἐς πολυπληθίαν. Ἅπαξ δὲ τοῖς σοφίσμασι τοῖσδε τοῦ Γρακχείου νόμου παραλυθέντος — καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος· καὶ ὁ δῆμος ἀθρόως ἁπάντων ἐξεπεπτώκει*[2]. Hic duo memoratos videmus tribunos, alterum Sp. Borium (ita codd.), alterum cujus ignoratur nomen, priorem lege sua agrorum possessoribus vectigal imperantem, posteriorem eodem liberantem illos. Comparantibus Ciceronis locum in Bruto cum Appiani loco verisimillimum videatur necesse est, Thoriam legem a Cicerone memoratam eam esse, cujus omisso tribuni nomine apud Appianum mentio fit. Eamque sententiam amplexus est A. A. F. Rudorff[3], etiam in eo di-

---

1 *Bruto* 36, 136.

2 *Bell. Civ.* I, 27.

3 Cf. ejus disputatio: *Das Ackergesetz des Sp. Thorius*, (*Zeitsch. f. gesch. Rechtswiss.* X, 1, 1839). Vindicat legem Boriam ejusque mentionem factam putata *Valerio Probo* (*Auctt. L. L.* p. 1463), ubi is laudat *L. Bo.*, qua tamen nota vix credere possum aliam praeter *boariam* legem indicatam esse.

ligentissime versatus, ut legis Thoriae fragmenta nobis ea esse demonstraret, quae exhibet aenea tabula in Museis Vindobonensi et Neapolitano servata. Quae disputatio ut magnam habet ingenii judiciique laudem, ita non omnibus satisfecit. Dissensit enim nuperrime ab eo G. Zeiss[1], qui Rudorffum diligentem illorum legis agrariae fragmentorum interpretem laudans, eum cum de legislatoris consilio totiusque legis fine aberrasse, tum, perperam restituto *Borii* nomine, tabulae fragmenta male ad *posteriorem* Appiani legem retulisse judicavit, quum sine dubio ad *priorem* referenda essent. Itaque quaerendum est, quum res in disceptationem venerit, utrius sententia praeferenda videatur. Suspectum *Borii* nomen esse, nemo negabit, qui posteriorem tribunum Thorium fuisse existimaverit: auget vero corruptionis suspicionem praenominis *Spurii* similitudo, quod Borio et Thorio commune fuerit, recteque animadvertit Zeiss, si re vera exstitisset lex Boria, prorsus mirum videri, silentio eam in tabulis praetermissam, cujus non minor esset gravitas quam ceterarum legum, quae in iis memorentur[2]. Quodsi vero ratio suadet, ut Appiano Thorii nomen restituatur, gravior difficultas oritur de contraria utriusque sententia. Simplicissimo eam ille sustulit argumento, statuens, lege sua Thorium *optimatum* non minus quam *plebis* causae favere cupientem prohibuisse ne illorum quisquam plus quam quingenta jugera publici agri haberet, quae tamen ipsa privata facta in domi-

---

1 *De lege Thoria.* Vimar. 1841.

2 p. 13.

nio haberent atque immunia vectigalis. Atque eam quidem nobilibus jacturae compensationem fuisse. Praeterea consuluisse cum plebis commodis; quibus enim ager non esset, assignasse reliqui agri publici ad tricena jugera portionem, eaque privata esse jussisse[1]. Unde vero vectigalia, quae imposita populoque divisa esse diserte tradit Appianus? Zeiss memorat, agrorum publicorum, qui superessent, vectigalia diligenter esse postulata; idem vero lege Thoria *maximam* agri publici *partem*, quippe in privatum agrum commutatam, liberatam vectigali statuit. Restabat igitur *pars* s. *particula* agri publici, quae vectigalis esset. At secus sentire nos jubet Appiani locus, quem quoniam attigimus, recte interpretemur. Cavebatur lege Thoria ne amplius divideretur ager publicus, sed esset in dominio possessorum. Itaque privatus factus est et sancitum, ut pro quingenis jugeribus vectigalia a singulis solverentur plebi. Hoc significatur verbis *εἶναι τῶν ἐχόντων καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς* (non publici agri sed privati facti) *τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι*. Consentiunt tabulae fragmenta. « *Qui ager locus quodve aedificium ex lege plebeive scito* exve h. l. privatum factum est, pro eo agro loco aedificio proque scriptura pecoris, quod in eo agro pascitur, postquam vectigalia constiterint, quae post h. l. *rogatam primum constiterint*, *nei quis* —[2]. Patet hinc, solis agris privatis factis vectigalia imposita esse; quod novum fuisse indicatur verbis: *primum constiterint*.

---

1 p. 11 sqq.

2 *Rudorff l. l.* p. 152, 153,

Fuit autem hoc παρηγορία τις τοῖς πένησι, quibus dividi non amplius agrum publicum liceret. — His ita explicitis, accedimus ad Ciceronis loca. Quod igitur neglexit Zeiss, primum animadvertamus, Ciceronem scripsisse *inutilem* et *vitiosam* legem Thorii fuisse. Inutilem Pighius[1] propterea dici putavit, quia aerarium publicum fraudaretur ea, plebi quippe viritim pecuniâ ex vectigali divisâ. Cum aliis igitur perniciosam fuisse statuit; de qua vocabuli potestate, quoties de lege sermo est, vehementer me dubitare fateor. Namque ut *vitiosa* lex ea dicitur, quae contra auspicia ac religionem rogata aut lata est, ita *inutilis* dicenda est ea quae propter illud vitium ne valeat impeditur, ideoque novae legis auctoritate corrigenda est[2]. Quod si tenemus, facile intelligitur, utram legum ab Appiano laudatarum Cicero cogitaverit. Non enim dubium quin *priorem*, quam οὐ πολὺ ὕστερον excepit posterior, quae ipsa vitiosa et inutilis dici propterea nequit, quod viguit triennium fere, 647—650 (107—104), donec Marcia lex ferretur. Prorsus autem erravit Rudorff, ratus legem Thoriam in a. 643 (111) incidisse[3], quippe Sp. Thorius tribunatu quadriennio post eum annum functus est. Quum vero consentaneum sit statuere, significatam a Cicerone legem haud diversam esse

---

1 *Ann.* III, 136. Cf. *Peter Ed. Brut. Cic.* p. 96.

2 Cf. *Cic. Phil.* V, 4, 10. Imprudentius igitur Rudorff p. 83. *In der That scheint die in der lex Thoria ausgesprochene Ordnung im Wesentlichen das Schicksal des Ital. ager publicus für längere Zeit entschieden zu haben.*

3 *Disp. l.* p. 36.

posse ab ea, quam Appianus prius memoravit, quaerendum porro, quomodo levasse tribunus agrum publicum vectigali dici potuerit. Istud *levare* quid esset, indagare omisit Rudorff et tollendi ei significationem properantius tribuit [1]. Prudentius Zeiss de certo quodam modo vectigalibus imposito, non de sublatis vectigalibus accepit [2]. Eamque veram esse interpretationem defendi potest, quia Cicero distinxit *levare* et *liberare*. Nam etsi de aere alieno apud eum sermo sit [3], nil obstat quominus idem discrimen quamvis in rem conveniat. Quin usurpavit *liberare* de vectigalibus agri publici [4]; quo minus dubitandum quin datâ operâ *levare* minuendi sensu posuerit. Huic vero interpretationi vide quam faveant Appiani locus, et tabulae fragmenta. *Levabatur* enim ager publicus vectigalibus, quippe in privatum maximam partem commutatus, cui ipsi nova imposita erant. Neque tamen *liberatum* agrum publicum esse existimari potest: nam supererat scriptura, quae imperabatur iis qui in pascuis publicis plures pecudes quam decem majoris pecoris et quinquaginta minoris pascerent [5]. Ipsa autem lex nonnemini lata visa est in eos qui agrum publicum aut occupassent, aut in eum protulissent suos fines, aut illum privatim pascerent, aut alia ratione minuerent [6]. Sed satisfecit Zeiss de legis ferendae

---

1 p. 50. Cf. *Burmann de vectigg. p. R.* p. 46.

2 p. 13.

3 *Epp. ad Att.* VI, 2, 4: *multae civitates omni aere alieno liberatae, multae valde levatae sunt.*

4 *Eod.* I, 19, 4.

5 *Zeiss l. l.* p. 12.

6 *Becich. ad Cic. de Orat.* II, 70 p. 360.

proposito. Patet vero duplex ejus argumentum fuisse, quippe et de agris publicis cavebat, et, ut probabiliter e Ciceronis loco priore efficitur, complectebatur simul nonnulla de pascuis. Agebatur igitur de hac lege in senatu, quae verisimiliter brevi ante jussa a populo fuerat.

Quo vero consilio quaque opportunitate agere de ea Patribus placuit? Deliberandi causam vix aliud attulisse puto, quam controversiam ex lege non jure et contra auspicia lata profectam. Peccabatur in eam atque a peccantibus negabatur se ullis legis vinculis adstringi. Fuerunt qui in senatu exemplum afferrent Lucilii, cujus pecore constaret agros publicos depasci[1]. Quae licentia ne lege invitâ sed innoxiâ grassaretur amplius, caveri oportere iis videbatur, et de custodiendis agris publicis, finibusque designandis, fortasse de instaurandâ lege sed immutandâ consilia inituri erant, ut vectigalia, imperii patrimonium, vindicarentur aerario. Sed eam quidem consiliorum spem proxima tribunicia rogatio, qua sublata sunt vectigalia, referente Appiano, elusit. Quis ille fuerit Appius major, a Cicerone memoratus, ignoramus. Pighius Appium Claudium Pulcrum intellexit, filium suspicatus fuisse Appii Claudii consularis atque censorii, qui de Salassis triumphavit[2]. Quod eo magis

---

1 Haud aliena existimantur ea, quae *Cic. ad Att.* II, 15, 4 memorat: *Terentiae pergrata est assiduitas tua et diligentia in controversia Mulviana. Nescit omnino te communem causam defendere eorum, qui agros publicos possideant. Sed tamen tu aliquid publicanis pendis: haec etiam id recusat.* Cf. *Burm. l. l.* p. 41.

2 *Ann.* III, 101.

crederemus, quia idem, Ti. Gracchi socer, cum hoc ejusque fratre dividundis agris triumvir celebratur. Consulatum idem gesserat 610 (143), censuram 617 (136), atque hoc tempore senem eo diligentius senatui interesse par erat, quo magis antea in judicando, qua publicus ager, qua privatus esset, versatus fuerat. Verum jam multo ante mortuum cognovimus [1]. Itaque Ernesti eum esse censuit, qui C. Claudii cos. 661 (92) filius, Appii Claudii Pulcri cos. 674 (79) frater fuit, a quo ut distingueretur, *major* appellatus sit [2]. Sed hic eo tempore, quo res acta in senatu, juvenis erat. Quare aut idem habendus, qui tribunus militum occidit 672 (82) [3], aut alius aliunde non notus. Magis vero nostra interest novisse, qualem sententiam tulerit in senatu, postquam ibi nunciatum fuerat, a Lucilii pecore agros publicos depasci, neque scripturam solvi. Appius igitur, dicax homo, injuria liberare Lucilium ejusque partes tueri videbatur, negans ejus esse, quod pasceretur, pecus. Sed praeter omnium exspectationem addebat, liberum illud se esse putare, nam pasci qua luberet. Varie haec verba explicantur. Nonnulli inficete sic: in nullius domini servitute et potestate videtur esse hoc pecus, sed, quemadmodum sui juris est liber homo, sic est liberum, quandoquidem qua lubet pascitur, inferente aliis damnum Luçilio [4]. Inepta Pighius com-

---

1 *Liv. Epit.* LVIII. *Vell. Pat.* II, 2, 3. *Cic. de Rep.* I, 19, 31.

2 *Clav.* p. 111.

3 *Orell. Onom. Tull.* p. 148, 150.

4 *Becichemus ad Cic. l. l.* p. 360.

mentatus: « Loqui videtur Appius de patre L. Luculli, qui Mithridatem vicit, in cujus vita Plutarchus aperte demonstrat, parentes ejus incolumi fama non fuisse, sed illam avaritia, luxu, libidine pluribusque vitiis non parum contaminasse. Scribit enim, patrem ejus, hunc scilicet L. Lucullum, furti vel peculatus, vel repetundarum damnatum fuisse, matrem vero Caeciliam Q. Metelli Numidici sororem impudicitia publice probrosam atque infamem habitam. Facile inducor ad opinandum, pro *Lucilii Luculli* nomen reponendum esse, sicut in vetusto meo codice reperitur. Non tamen adhuc video, quidnam in his verbis reperiatur salis vel ridiculi praeter exspectationem. Suspicor mendum latens in voce *liberum*. Quid, si mutemus in *Lucullum*, apparebitne ridiculum quid praeter exspectationem? Tu vide lector. Transilit etenim mox Appius a quadrupede per synecdochen ad unoculum Luculli pecus, libidinem ejus notans non sine scurrilitate, cujus Appium insimulat prius etiam Cicero. Obscoenus igitur atque infamis adulteriis, non minus quam uxor ejus Caecilia, Lucullus hic videtur esse [1]. » Sed haec non moramur. Bakius tuetur Lucilii nomen, et *pecus Lucilii* intelligit plebem, cui vectigal agri publici per Thoriam legem concessa esset [2]. Quod mirum subobscure nonnemini dici visum esse? Manifeste autem respicitur consuetudo Lucilii, qui petere singulos cives, arripere primores populi populumque tributim, nunquam dubitavit. Non poterant igitur Romani

1 *Ann.* III, 101.

2 *Schol. Hypomn.* II, 178.

migrare officii fines, quin *virtutis veruc custos rigidusque satelles* instaret minabundus et, quidquid peccassent, severe vindicaturus. Prorsus consentanea huic satirici poëtae muneri Appii verba sunt, negantis pecus istud, quod ubique et ubi minime oportebat pasceretur et vagaretur, Lucilii esse posse, qui continentiae abstinentiaeque gravissimus in civitate auctor esset, et injuriarum vindex alacerrimus. Quare vix dubium, quin Lucilii nomen servandum sit; quippe Appii dictum, in quemlibet alium applicatum, proprio acumine privatur.

E servato Lucilii loco efficitur, Asiae eum publicanum fuisse. Legimus:

Publicanus vero ut Asiae fiam scripturarius
Pro Lucilio, id ego nolo et hoc non muto omnia [1].

Scripturarius is dicitur publicanus, apud quem pecuarii vel pastores pecoris numerum profitebantur, qui numerus in tabulas ab eo referri solebat, et *scripturae* nomine certa pecunia pro pastione in agro publico solvebatur. Fortasse idem decumanus fuit, modo ipsius sint verba habenda:

Denique adeo male me accipiunt decimae et proveniunt male [2].

Tertium vectigal, portorium, ab eodem memoratum videmus:

Facit idem, quod ille, qui inscriptum e portu exportant clanculum, ne portorium dent [3].

---

1 *Lucil. Fr.* XXVI, 6. Cf. *Turn. Advers.* XXIX, 17.
2 *Eod.* 54.
3 *Eod.* XXVII, 3.

Tantum igitur constat, Lucilium *scripturarium* fuisse. Animadversum est, perperam Dousam attulisse Varronis verba: *Nam is magister C. Lucilii Hipri, generi tui, cujus nobiles pecuariae in Brutiis habentur* [1], et *Lucceji Hirri* legendum esse. Quamquam dubitari non potest Lucilium greges habuisse. Atque intelligitur ex loco Ciceronis supra memorato, publicanis scripturae immunitatem concessam non fuisse, sed eodem jure, quo privati utebantur, adstringi visos esse. Asia autem minor, quae, praeter meridionalem partem, Pontum, Cappadociam et Galatiam, Attali haereditate provincia Romana facta erat 624 (130), maxime opima erat regio, quae et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum quae exportantur, facile omnibus terris antecellebat [2]. Itaque hoc vario reditûs genere, quod decumis, scriptura et portorio constabat, ut civitatem Romanam incredibiliter locupletatam novimus, ita neque ea redimentibus publicanis male consultum erat, quippe qui ingentes divitias inde lucrarentur.

Publicanorum in Asia societati quamdiu adhaeserit Lucilius, ignoramus. Pariter incertum est, quo tempore iter in Siciliam, quod ipse descripsit, fecerit. Cujus rei memoriam servavit commentator: « Lucilius libro tertio descripsit iter suum quod Româ fe-

---

1 *Ad Luc. Fr.* p. 132b. *Varro de R. R.* II, 1. Cf. *Orell. Onom. Tull.* p. 362b.

2 *Cic. pro leg. Man.* 6. Cf. *Burmann de vectigg. p. Rom.* p. 41, 58.

cit Capuam et inde ad fretum usque Siciliense [1]. » Placuisse poëtis hujusmodi itinerum narrationes insertis cum commodis et oblectamentis, tum difficultatibus et molestiis, notum est. Sic ille, quo exemplo usi sunt in multis Lucilius et Horatius, Alcaeus navigationem suam versibus exposuit;

Et te sonantem plenius aureo
Alcaee plectro dura navis
Dura fugae mala, dura belli [2].

ubi interpres: *saevissima mala suae navigationis, dum fugeret tyrannos Mitylenenses* [3]. Ipse Horatius iter ab urbe Roma descripsit Brundusium usque, commemorans ejus itineris incommoda, simul et faeetam contentionem Sarmenti scurrae et Messii Cicirri [4]. Persius quoque in pueritia scripsit utriusque exemplo ὁδοιπορικῶν librum singularem [5]. De Lucilii itinere monuit Varges [6], quae grati excipimus. Primum igitur iter fecit per Latium, deinde in portu aliquo Campaniae nave conscensa Salernum vectus est, inde ad Palinurum promontorium: tum probabiliter mari ad fretum Siculum contendit. Nullam porro graviorem causam fuisse suspicatus est suscepti itineris, sed animi causâ excursum fecisse cum amico quodam et servo. Veruntamen sunt quaedam vestigia, quae

---

1 *Comm. Cruq. ad Hor. Sat.* I, 5 initio.

2 *Hor. Od.* II, 13, 26. Cf. I, 32, 7.

3 *Comm. Cruq.* p. 114.

4 *Sat.* I, 5.

5 *Vita Suetonio adjecta.*

6 *C. Lucil. Satir. quae ex libro tertio supersunt.* Stettin 1836. Cf. *Rutgers Lectt. Venus.* 15.

haud sine probabilitate existimare nos moneant, valetudinis gratiâ Lucilium peregre proficiscendi consilium cepisse. Namque adversâ eum laborasse cognoscimus ex Festo: « *Rondes Icadionque* cum dixit Lucilius, nomina piratarum posuit; tam infestum sibi corpus et valetudinem referens, quam illi essent saluti navigantium [1]. » *Querquera febri* saepius affectum fuisse colligas ex eodem: *jactans me ut febris querquera terret*, et *querquera consequitur febris capitisque dolores* [2]. Praeterea Gellius refert, Lucilium libro quinto cum amico conquestum esse, quod ad se aegrotum non viseret [3]. Plura de itinere e fragmentorum indiciis accuratius exploravit Varges, quae commendamus legentibus.

Aliquid porro de Lucilii domicilio memoratur ab Asconio: « Varronem tradere, M. Valerio, quia saepius vicerat, aedes in Palatio tributas, Julius Hyginus dicit in libro priore de claris viris, et P. Valerio, Volusi filio, Publicolae aedium repul..... cum [4] sub Velia, ubi nunc aedis Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse. Tradunt, et Antiocho, Antiochi regis filio, obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annale, quae postea dicitur Lucilii poëtae fuisse [5]. » Fallitur Orellius [6], scribens Luci-

---

1 v. Rondes.

2 v. Querquera febris.

3 XVIII, 8, 1.

4 Fort. *recuperandarum locum*.

5 *In Pison.* 22. Ex Garatoni conjectura apud *Orellium* (*Cic. Opp.* V, 2, p. 13. Cf. p. 96). Vulgo legebatur: *Publicolae aedes publicas sub Velia.* Cf. *Voss. de Hist. Latt.* (*Opp* III, 233).

6 *Onom. Tull.* p. 363 a.

lium sub Velia habitasse. Nam e verbis Asconii tantum liquet, eum Antiochi IV Epiphanis — qui Romae obses redditus est imperio Syriae 579 (175) — domum habitasse [1]. Nihil igitur amplius efficitur nisi domum Antiochi postea a Lucilio habitatam, quae ubi sita esset, non patet. Quodsi tantas aedes, quales Antiocho honoris causâ publice aedificatas esse putare par est, habitaverit, sequitur eum re familiari perquam lauta fuisse. Idemque non solum pecoris illius mentio, quo depasci agrum publicum querebantur in senatu, sed etiam Horatius testatur:

— *Quidquid sum ego, quamvis*
Infra Lucili censum [2] —

ubi censum equestrem intelligi sponte patet. Et vero Horatio causa fuit cur censum memoraret Lucilii, eique suum opponeret. Etenim ut ille publicanus, ita ipsius pater exactionum coactor fuerat et publicanorum minister. Itaque Lucilius servorum familiam quoque satis magnam habuerit et divitiis congruam. E quibus nomine memoratur Metrophanes, quem mortuum ipse poëta epitaphio celebrans, *columellam* appellavit: qua appellatione apud veteres dictos esse servos majoris domûs testatur Donatus. Epitaphium hujusmodi erat:

Servu' neque infidu' domino neque inutili' quoiquam
Luceili columella heic situ' Metrophane'st [3].

---

1 Cff. *App. Syr.* 39, 45. *Liv* XXXVIII, 38.

2 *Sat.* II, 1, 75.

3 *Donat. ad Ter. Phorm.* II, 1, 57. *Martial. Epigr.* XI, 90. Cff. *Anthol. Lat.* II, 244. *Salmas. Plin. Exerc.* p. 859, qui Donatum hallucinatum putavit et legi maluit *columella hac*, pro: sub hac columella s. cippo sepulcrali. Negat *do-*

Aliud accipimus ab Auct. ad Herennium : « C. Caelius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucilium poëtam in scena nominatim laeserat[1]. » Qua de re nihil aliunde constat. Simile quid acciderat L. Attio poëtae[2], quem mimus quidam nominatim compellaverat in scena. Fertur cum eo Attius injuriarum egisse : mimus vero quum nihil aliud defendisset, nisi licere nominari eum, cujus nomine scripta darentur agenda, tamen a P. Mucio condemnatus esse. Gravior vero Lucilii causa fuit, qui non tantum compellatus nominatim, sed conviciis petitus fuerat[3]. Nec mirum, litem ei intendisse poëtam, ne existimatio sua impune in scena laederetur. Idem vero graviter offensus videtur absoluto histrione. Quare sibi visus est Dousa in Lucilii fragmentis duo versus reperisse, qui eo sint referendi quibusque carpatur C. Caelius judex[4]. Alter est :

Nunc, Cai, quoniam incilans nos laedi' vicissim[5].

alter :

---

mini columellam dici posse servum, quum potius *servi* columella sit dominus. Sed procul dubio vindicanda Donati auctoritas.

1 II, 13, 19.

2 I, 14. Cf. *Val. Max.* II, 6, 7.

3 *Capidurus* ad l. l. p. 138. « *In scena*, ubi poëmata publice recitabantur. » Eo autem laesum Lucilium existimat, quod eum mimus nomine suo compellaverat, non praenomine aliquo honoraverat.

4 Num idem fuerit qui *C. Caelius Caldus* cos. 660 (94) trib. pl. 647 (107), haud satis constat. Cf. *Pighius. Ann.* III, 116.

5 XXX, 30.

Ut semel in Caeli pugnos te invadere vidi [1], ubi *coeli pugnas* legi solet [2].

Venimus jam ad loca Ciceronis supra memorata [3]. Quibus quum sic de Lucilio referatur tanquam mortuo, quid faciamus? Una ratio est interpretandi illud *dicere solebat* de Lucilio Româ profecto, sive eo ipso tempore iter Siculum instituisset, sive, quod malo existimare, urbem reliquerat, ut eo nunquam rediret. Profectionis tempus accurate indicare non licet, sed Ciceronis testimonio [4] (si verum vidimus conjicientes pro *his nobis* legendum esse *pueris nobis*) patet, eum puero Cicerone, i. e. circiter 659 (95), Romae adhuc fuisse. Itaque non errabimus, si abiisse statuatur intra illum annum et 663 (91), cui sermonem *de oratore* Cicero adscripsit. Causa vero cur profectus sit, nusquam diserte significatur. Nolim temerarius videri. Sed levibus indiciis usus, aliquid proferre juvat, de quo suum cuique liberum judicium relinquo. Libro satirarum nono, quo de orthographia agitur, legimus: *Pilum quo pinso.* [5] Quum plurali numero proxima dicantur: *pila qua*

---

1 *Eod.* 58.

2 *Dousa* p. 86. 138. *Burmannus* vero priori versu Fabii Cunctatoris verba contineri ad C. Minutium Rufum statuit, Merulam laudans qui contentionem inter illum dictatorem et magistrum equitum descriptam a Lucilio libro trigesimo sibi persuaserat. Cf. *Merula ad Ennium* p. 454—463. Etiam posteriore versu alii *coeli pugnas* θεομαχίας s. γιγαντομαχίας intellexere, quas is, quem alloquatur Lucilius, scripsisset.

3 p. 28.

4 *Bruto* 43, 160.

5 *Lucil. Fr.* IX, 6.

ludimus, mirum accidit singulari priora poni. Neque tamen ullo modo id urgerem aut omnino attendissem, nisi aliud accederet, quo suspicio, quasi ita de se ipso Lucilius scripserit, nasci posse videretur. Varronis enim locus hic est: *Pilum, quod eo far pisunt; a quo ubi id fit dicitur pistrinum. — Inde post in urbe Lucili pistrina et pistrix* [1]. Nemo erit, quem ista similitudo non moveat. Novi Scaligero de vitio suspectum locum fuisse, cui mederi studuit scribendo: *Inde pistor vel Lucilii pistrina vel pistrix* [2]. Acutissime quidem ille, sed obstat, quod veteres universe *pistrina* feminine scripsere [3], quod Lucilius *pistrinum* quoque usurpavit, quod inepte et temere interpositum videtur *pistor* postquam *pistrinum* memoraverat, quodque obscura est vocabuli *pistor* corrupti causa. Quare neque Müllero placuisse conjectura videtur, qui intelligi posse notam quandam in urbe Roma pistrinam scribit, dubium tamen esse addens, num Varro hoc voluerit. Me quidem, ineptumne sit, Lucilium ob reprehendendi audaciam in graves molestias incidisse videri, quaerere subiit. Naevium, antiquiorem poëtam, qui Metellos vehementer offenderat, carceris poenâ affectum esse novimus, dein Uticae exsulasse. Diversa Plauti sors fuerat quem, ut rei familiari

---

1 *De L. L.* V, 138.

2 *Varro l. l.* Ed. Bip. II p. 96. Duobus locis vocabulum exstat apud Lucilium: XVI, 10 *Media a pistrina* et VIII, 11, *Pistrinum appositum, posticum, sella, culina.* Pistrix occurrit *inc. fr.* 13.

Pistricem validam, si nummi suppeditabunt,
Addas empleuron, mamphulas quae sciat omnes.

3 *Donat. ad Ter. Adelph.* IV, 2, 45.

turpiter neglectae subveniret, constat pistori se locavisse, ubi fabulas composuit. Nolo tale quid *affirmare* de Lucilio: nam nullo certo testimonio probari potest, vel hanc ei tam acerbam necessitatem propter fortunae ruinam fuisse, vel illud tam grave supplicium de eo immoderatius in mores civitatis invecto sumtum esse. Quin in contrariam potius opinionem facile deducamur Horatii verbis:

Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu Mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romae, seu fors ita jusserit, exsul,
Quisquis erit vitae, scribam, color. Tr. O puer, ut sis
Vitalis, metuo, et majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Hor. Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
— num Laelius aut qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen
Ingenio offensi? aut laeso doluere Metello?
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim[1].

Ex his versibus, ut distingui solent, efficitur Lucilium securum per omnem vitam fuisse ab inimicorum telis, quos stili acerbitate momorderat. Sed locum rite considerantibus alia cogitatio mentem subit. Scilicet Trebatius vereri se dixerat, ne gravi supplicio Horatius multaretur, si impune quosvis aggredi sibi licere existimaret Memorat Lucilium Horatius, qui principes lacessere ausus effugisset optimatum vim, quem nec Laelius ne-

1 *Sat.* II, 1, 57 sqq.

Scipio moleste tulissent, ingenium acuentem in improbos et facinorosos cives. Quibus *Trebatius*, ut mihi videtur, subjungit: « verum haud immemor esse potes, populum haud secus atque optimates ab eodem graviter et perpetuo esse exagitatum. » Cujus quidem temeritatis luisse poenas Lucilium, si ea verba prolata a Trebatio credamus, inducimur ut suspicemur. Nec video equidem istud *atqui* quo modo Horatii personae tribui possit, quod sua interponentis, non sermonem continuantis, esse, verbi usus docet. Proxima vero *poëtae*, non Trebatio, vindicata eximiam vim habent. Itaque sententiae nostrae non modo non adversatur Horatii locus, sed ita favere videtur ut Lucilium publico judicio, non procerum auctoritate, multatum existimes. Ac video alio ejusdem poëtae loco id obscure significari. *Me*, scribit ad eundem Trebatium,

— me pedibus delectat claudere verba
Lucilî ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque, si male cesserat, unquam
Decurrens alio, neque si bene; quo fit ut omnis
Votivâ pateat veluti descripta tabellâ
Vita senis [1].

Votivas tabulas naufragi aut in templo aut in publico ponebant; in quibus naufragii calamitas expressa erat. Qua imagine usus Horatius ut significet, libris suis Lucilium vitam suam ita ad vivum delineasse, ut naufragi calamitatem itineris sui depingere solent, videri potest intelligere voluisse, poëtam adversam

---

1 *Sat.* II, 1, 28 sqq.

maxime vitae fortunam, quae prosperae vehementer offecisset naufragioque fuisset similis, scripto mandasse. Quare unice probo *cesserat* pro *gesserat*, quod tamen sunt qui tueantur.

Quae si probabiliter disputaverim, necesse est statuamus, Lucilii aetatem vexatam malis fuisse. In primis vero ultimo vitae tempore accidisse ea conjicimus. Fortasse homines nominatim reprehendendi libidine gravius abusus, mortuis qui ei dum vivebant patrocinati fuerant, pessime ei cessit, quod impune diu licuerat. Quamquam, quod dixi, abest ut *asseverem*, in carcere eum poenas dedisse. Ac pistrinum quidem proprium habuerit, in quo videtur animi aut valetudinis causâ ad pistoris opus incubuisse, et pilum tractasse[1]. Ceterum paulomagis inclino in eam opinionem, ut variis litibus implicitum et enectum[2], vel coactum vel sponte eum putem in exsilium abiisse Neapolin, ubi consenuit ac diem obiit. Nec displicuisse novis civibus poëtam exsulem, manifestum est. Namque ejus memoriam Neapolitani publici funeris honore cohonestarunt.

Haec sunt Lucilianae vitae capita partim certa, partim incerta. Conspectum ejus addere juvat, quo melius rerum ordo intelligatur.

---

1 Quamvis constet, a bello Persico, quod 586 (168) finitum est, Romae pistores fuisse (*Plin. H. N.* XVIII, 11.) tamen nihil obstat, quominus Lucilius privatum in Urbe pistrinum habuisse credamus. Nec quod suspicati sumus, in eo, qui Scipionis ac Laelii hilaris comes fuerat, quamvis equite Romano, mirum videri poterit. Eo quoque referam *pistricis* p. 64, not. 2 factam mentionem, quam sibi sive ab amico, sive ab alio emtam voluerit.

2 Vid. supra p. 54, 62.

606 (148) C. Lucilius Suessae Auruncorum nascitur. Romam delatus in Scipionis amicitiam pervenit.
620 (134) Eques meret Numantino bello.
625 (129) Scipio moritur.
[627 (127) Lucilius quaestor.]
[634 (120) » Athenis.]
? Clitomachus ei librum philosophi argumenti inscribit.
[637 (117) Lucilius praetor.]
646 (108) Lex Thoria. Premitur Lucilius ab iis qui agros publicos ab ejus pecore depasci queruntur.
? Iter ad fretum Siculum (valetudinis causâ susceptum).
? Publicanus scripturarius Asiae.
Romae domum habitat, quae Antiochi IV fuerat. (In contiguo, ut videtur, pistrino animi causâ pistoris operi vacat).
647 (107) Tribunatus Crassi.
657 (97) Lex Licinia memorata a Lucilio.
circ. 659 (95) Puero Ciceroni Lucilius de Crassi tribunatu refert.
? In scena nominatim laeditur.
? Lucilius Româ abit (in exsilium).
663 (91) Sermo *de oratore* haberi fingitur.
686 (68) Lex Calpurnia de ambitu memorata a Lucilio.
? C. Lucilius Neapoli moritur et publico funere effertur.

C. LUCILII INDOLES ET INGENIUM.

Proximum jam est, ut de Lucilii ingenio ac moribus dicamus. Quod argumentum quo gravius est illius viri indolem investigantibus, cujus maxime praeclara in emendandis aequalium moribus voluntas fuit, eo vehementius dolemus amplam, unde quae huc pertinent hauriamus, materiam deesse. Hanc ipsius poëtae scripta continuerunt, quippe non tantum vitae rationem ceteraque, quae ipsi memorabilia evenerant, exhibentia, sed etiam animi studia, consilia, vota, vitia denique et virtutes omnes lectoribus ingenue prodentia. Neque tamen prorsus ignoramus, quale judicium de Lucilii indole ferendum sit. Causa vero est cur eximie de ea existimemus. Scribit enim Horatius, memorata Lucilii scribendi libertate:

Scilicet uni aequus virtuti atque ejus amicis [1].

Quo etiam referri oportet ejusdem illud ad Trebatium:

— *me pedibus delectat claudere verba*
Lucili ritu, nostrum melioris utroque [2].

---

1 *Sat.* II, 1, 68.
2 Sup. p. 66.

Scio aliter haec interpretatos nonnullos esse. Verum quidquid in secus sentientes J. Dousa declamavit, putans *melioris* pro *generosioris*, *nobilioris* positum, et ad genus ac natales referens [1], non moveor quin vitae probitatem, aequitatem et constantiam significari arbitrer. Quod si quis sit qui temerarium statuat, subaequalem Lucilii memoro Lucretium, similiter minusque ambigue scribentem :

Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis quam tu, fuit, improbe, rebus [2].

Fuit igitur vir bonus, virtutis colendae commendandaeque studiosus, in eodemque studio constantissimus. Quae laus cum major esse soleat, si quis, civitatem nactus, quae priscam morum sanitatem non amplius, qua solebat, reverentiâ prosequitur, fortiter eam tueatur vitae exemplo immunemque se ab aevi labe praestare studeat, operae pretium erit, aetatis, qua floruit Lucilius, paucis imaginem adumbrare.

Memorabile est maxime, quod apud Ciceronem est, Laelii effatum : « Etsi nobis, ait, qui id aetatis sumus, evigilatum fere est, tamen de posteris nostris et de illa immortalitate reipublicae sollicitor ; quae poterat esse perpetua, si patriis viveretur institutis et moribus [3]. » In quae verba quoties incido, toties me tangit ac tenet praedicata illa neque a Laelii persona aliena de reipublicae Romanae immortalitate sollicitudo. Nam verissime quidem eo tempore Romani in

---

1 *Hor. Cruq.* p. 684.
2 *De Nat.* III, 1038.
3 *De Rep.* III, 19.

illam induci opinionem poterant ac debebant, ut aeternam fore sibi persuaderent; quippe sic paulatim aucta ac stabilita fuerat, ut vis ei nulla resistere aut interitum moliri posse videretur. Sed a summo, gloriae potentiaeque fastigio quo propius aberant Romani, eo gravius undique, ne intus corrumperetur civitas, periculum imminebat. Quae P. Aemilio de Perseo Macedonum rege contigerat victoria a. 586 (168), nobilissima fuerat et praedicabatur, sed nocuit eadem vitae morumque simplicitati, quippe tantas Romae divitias inferens, ut diu tributis supersederetur, tantoque simul imitationis studio civitatem incendens, ut negligentia antiqui moris atque instituti brevi consequeretur. Invalescentem eo tempore disciplinae civilis depravationem Polybius nobis his verbis significavit: *Οἱ μὲν γὰρ* (Scipionis juvenis aequales) *εἰς ἐρωμένους τῶν νέων, οἱ δ' εἰς ἑταίρας ἐξεκέχυντο, πολλοὶ δὲ εἰς ἀκροάματα καὶ πότους καὶ τὴν ἐν τούτοις πολυτέλειαν, ταχέως ἡρπακότες ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ τὴν τῶν Ἑλλήνων εἰς τοῦτο τὸ μέρος εὐχέρειαν· καὶ τηλικαύτη τις ἐνεπεπτώκει περὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ἔργων ἀκρασία τοῖς νέοις, ὥστε πολλοὺς μὲν ἐρώμενον ἠγορακέναι ταλάντου. Συνέβη δὲ, τὴν παροῦσαν αἵρεσιν οἷον ἐκλάμψαι κατὰ τοὺς νῦν λεγομένους καιρούς, πρῶτον μὲν διὰ τὸ, καταλυθείσης τῆς ἐν Μακεδονίᾳ βασιλείας, δοκεῖν ἀδήριτον αὐτοῖς ὑπάρχειν τὴν περὶ τῶν ὅλων ἐξουσίαν· ἔπειτα διὰ τὸ πολλὴν ἐπίφασιν γενέσθαι τῆς εὐδαιμονίας περί τε τοὺς κατ' ἰδίαν βίους καὶ περὶ τὰ κοινά, τῶν ἐκ Μακεδονίας μετακομισθεισῶν εἰς τὴν Ῥώμην χορηγιῶν* [1]. Neque vero his dis-

1 XXXII, 11.

similia nobis prodidit Macrobius ex Titii oratione, qua Fanniam legem eodem ferme tempore suasit; nam is, mores, quibus plerique tunc Romae vivebant, descripturus, homines prodigi in forum ad judicandum ebrii commeantes qualia solerent inter se sermocinari, his verbis refert: « Ludunt aleâ, studiose unguentis delibuti, scortis stipati, ubi horae decem sunt; jubent puerum vocari ut comitium eat percunctatum quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus jusserint, quot vetuerint: inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant: dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium tristes, jubent dicere: quorum negotium est, dicunt: judex testes poscit: ipsus it minctum; ubi redit, ait se omnia audivisse, tabulas poscit, literas inspicit: vix prae vino sustinet palpebras: eunti in consilium ibi haec oratio. *Quid mihi negotii est cum istis nugacibus? quam potius potamus mulsum mixtum vino Graeco, edimus turdum pinguem, bonumque piscem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit?*[1]» Istane quis credat tam gravia vitia jam tum inolevisse reipublicae Romanae? Sed jam ante Cato quibus verbis disputavit in immoderatam aequalium luxuriam[2]? At vero inveterata eadem vitia compesci non amplius potuerunt, postquam assidua rerum prospere foris gestarum constantia novas calamitates intus debilitato imperio intulerat. Brevi enim maximi triumphi eodem tempore

---

1 *Saturn.* II, 12. Cff. Sammonici verba c. 13.

2 *Id. eod.* II, 10.

celebrati de Carthagine et Corintho. Qua fortuna factum ut, quae civitas antea continentiâ abstinentiâque verae fortitudinis laudem meruisset, contrariis vitiis mergeretur. Quippe publicam magnificentiam, quam prioris Scipionis res gestae effecerant, secuta privata luxuria sic abalienavit a reipublicae cogitatione animos, ut fracti et debilitati in turpi privatorum commodorum cura et amplificatione desiderent. Eamque rerum commutationem pauci tum praevidisse censendi sunt, quum illa constituta reipublicae immortalitas videbatur. In paucis vero patriaeque amantissimis quin Scipio et Laelius fuerint, dubitari nequit. Quos nisi ipse rerum status advertisset, memores reddidisset Polybii sagacitas. Atque hujus quidem judicii auctoritas effecit, ut Scipio censurâ abiens, antiquo mori obrogaret, quo *dii immortales ut populi Romani res meliores amplioresque facerent*, rogarentur. Nam lustrum condens ille « satis, inquit, bonae ac magnae sunt. Itaque precor ut eas perpetuo incolumes servent [1]. » Decuit igitur illum et Laelium sollicitudo illa, quam augere Romanis debuit nova opum accessio, Attalorum haereditate parta a. 624 (130), in qua cumulanda cognoscimus malam fidem Romanorum. Neque injuriâ historicus : « Asia Romanorum facta cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit [2]. »

Haec igitur extrinsecus invecta mala quantum de-

---

1 *Val. Max.* IV, 1, 10. Cff. *Polyb. Exc.* l. XXXIX, 6. (*Scriptt. vett. nova collect.* II, 460).

2 *Justin. Hist.* XXXVI, 4.

trimenti attulerint civitati Romanae, quantum praepararint, non obscurum est historiam ejus persequentibus. Unum vitium plurimorum fons fuit, avaritia. Ne alia aliunde exempla conquiram, quae varia suppetunt, satis erit recordari, quales militum mores in Scipionis Numantiam obsidentis castris fuerint [1]. Horum jam adolescentulus testis factus, praesens deinde Romae morum corruptelam cognovit, nec sane minorem expertus est, quam Titio oratori visam et ab eo adumbratam vidimus. Superest ex ejus scriptis locus, ubi pariter vitae genus, quale Romanis eo tempore fuit, depictum est:

Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto
Totus item pariterque dies, populusque patresque
Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti:
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose;
Blanditiâ certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes [2].

Abunde igitur ex iis, quae memoravimus, indiciis atque exemplis patet, quo publico privatoque rerum Romanarum statu Lucilius floruerit et quanti praedicata ejus ab Horatio virtus aestimanda sit nobis. Tametsi vero haud temere in hanc inducamur de ejus indole opinionem, minuere tamen eam ac tollere contrarium videtur de ejus *pietate* judicium. Quo quidem destituti principio ut neminis vitam laudare

---

1 Supra p. 15. Adeant *Appianum* qui pluribus haec accipere cupiant.

2 *Lact. Inst. Div.* V, 9.

aut beatam existimare licet, plurimum sane abest ut desiderari possit in eo, qui exemplo aequalibus suis ac popularibus esse nitatur. Ceterae enim virtutes quantumvis praeclarae, languente aut deficiente pietate, non ornamento suo, sed praesidio ac velut radice carent. Verba autem sunt Lactantii, Herculis turpitudinem detestantis: « Quid tu, inquiet aliquis, poëtisne credendum putas? Quidni putem? Non enim ista Lucilius narrat aut Lucianus, qui Diis ac hominibus non pepercit; sed hi potissimum, qui Deorum laudes canebant [1]. » Quid apertius, quam similitudinem Lucilium inter et Lucianum istis verbis contineri, quae neutri laudi esse videatur? At vero aequius sine dubio de utroque judicare par est. Quod enim neque hominibus nec Diis pepercisse dicuntur, ita interpretandum ut dicamus, utrumque inanis noxiaeque superstitionis, quae hominum ingenia mentesque occupabat ac praestringebat, adversarios fuisse; quae illi commenta ridentes atque explodentes, simulque eos, qui commentis istis plebem obruebant ipsique tenebantur et cum sibi tum reipublicae detrimento erant, exagitantes, haud sane leviter cultus divini publici emendationi consulere voluisse censendi sunt. Atque etiamsi, — quod nequaquam liquet — ut postea Horatio, Lucilio tempus fuit quo *parcus Deorum cultor et infrequens* esset, magis id popularis religionis stultarumque cerimoniarum fastidio, quam impietate animi factum arbitror. Ceterum qui ea fuit ingenii aequitate, ut in carpendis morum,

---

1 *Inst. Div.* I, 9, 8.

opinionum ac sententiarum pravitatibus et erroribus, non suimet quam aequalium reprehendendi negligentior esset[1], hunc qua ratione dicamus Deos vilipendisse et divinam providentiam irrisisse? Vel fallor equidem, vel Horatius parcior Lucilianae virtutis laudator fuisset.

Haec pauca de Lucilii indole nobis innotuerunt. Ante vero quam de ejus ingenio videamus, quid Horatius, *sapientis* eum nomine appellans[2], voluerit, inquirendum est. Sanado et Heindorff ita dictum putarunt, quia non ausus erat eandem rem tentare quam Ennius perfecerat, sed tanquam ejusdem personae (Scipionis majoris) alteram et inferiorem partem gesserat. Quae quidem explicatio, errore nixa, a Varge explosa est; qui *sapientiam* interpretatur curam in opere nondum inchoato ac neglecto positam. Döring, quod sapienter vitam Scipionis sibi describendam sumsit, exponit. Horatius vero alio loco *sapiens* explicat *prudens*[3], qua significatione nihil altero loco convenientius est. Sed prudentia illa, quum indolem spectare non videatur, qualis re vera habenda sit, deinceps docebimus. Alia certe fuit, qua Laelio cognomen *sapientis* tributum ab aequalibus

---

1 Supra p. 7, 66. Interpretis verba sunt ad h. l. *Dicitur Lucilius vitam suam scripsisse et non sibi pepercisse.* Cf. *Dousa* p. 20.

2 *Sat.* II, 1, 17.

3 *Ep.* I, 16, 30.

Cum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? — Nempe
Vir bonus et prudens dici delector.

est, a vitae, morum consiliorumque aequabilitate et sanitate profecta.

Poëtae ingenium adumbraturum subit quaerere, nullane ille puerili ac juvenili disciplina usus, formandi ingenii excolendique ratione privatus fuerit. Rem non attigimus, quum in vita scribenda versabamur. Hoccine igitur tam grave momentum turpi a nobis silentio omitti ac negligi potuit? Abest multum; neque ullo modo commisissemus, ut, si levia vestigia superfuissent, intacta ea relinqueremus. Sed quum nihil innotuerit de Lucilii institutione, numqua usus sit et quali, conjiciendum. Quin Suessae in Campania prima disciplinae elementa perceperit, vix dubitari potest. Verum vidimus eum, etiamtum adolescentulum, castra Scipionis secutum; qua aetate in primis interest erudiri quemque humanitatis artibus, ut suos inde fructus matura aetas percipiat. At vero excepit eum tironem familiaremque se ei praebuit Scipio, cujus ad naturam eximiam atque illustrem accesserat ratio quaedam conformatioque doctrinae, ut eo videatur et imperatore militasse et magistro didicisse! Audio, eaque castrensis disciplina utilissima adolescenti et peroptata fuit. Nec tamen eo valuisse censenda est, ut nihil praeterea desideraretur; tantaque erat ac perpetua imperatoris a seria meditatione ad res gerendas militesque disciplinae assuefaciendos avocatio, ut exemplo magis *omnibus* quam *singulis* singulari praesidio emolumentoque esse posset. Itaque credibile, crebris subitisque cohortationibus, non sedula ac diligenti disciplina Lucilii ingenium invaluisse. Quodsi, quod nobis visum est, illo tirocinii spatio jam compositioni

versuum indulsit [1], haud magnopere nos latebit vitiorum causa, quae in operibus ejus jure posteri reprehenderunt. Alia fuit Romam reducis conditio. Subegit enim mentem suam Homeri, et tragicorum ac comicorum Graecorum, item Latinorum poëtarum lectione. Praeterea philosophiam Graecorum adiit ac coluit: idque vel inde effici potest, quod eum Clitomachus singularis libri dedicatione honoravit. Cujus libri argumentum quale fuerit, Cicero nobis exposuit. Namque illo significat *totius philosophiae Carneadeae primam institutionem et quasi disciplinam* contineri, atque his fere verbis scriptum esse: « Academicis placere, esse rerum ejusmodi dissimilitudines, ut aliae probabiles videantur, aliae contra: id autem non esse satis, cur alia posse percipi dicas, alia non posse; propterea quod multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum et cognitum possit esse. Itaque vehementer errare eos, qui dicant, ab Academia sensus eripi, a quibus nunquam dictum sit, aut colorem, aut saporem aut sonum nullum esse, illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quae nusquam alibi esset, veri et certi notam. — Dupliciter igitur dici, assensûs sustinere sapientem: uno modo, quum hoc intelligatur omnino eum rei nulli assentiri: altero, quum se a respondendo (ut aut approbet quid, aut improbet) sustineat; ut neque neget aliquid, neque ajat [2]. » Suspicamur facile, ra-

---

1 Sup. p. 16.

2 *Acad.* II, 32, 102. Vid. sup. p. 47.

tionem argumenti habentes, aut Athenis brevius commoranti Lucilio et Carneadeam doctrinam, a Clitomacho nondum literis mandatam neque iccirco nisi Carneadis discipulis notam, sciscitanti Clitomachum recepisse ut ejus summam traderet, aut eidem aliunde cognito et ad percipiendam disciplinam Academiae apto eam impertire eo consilio studuisse, ut per eum probata Romae propagaretur. Quale quidem Graecorum philosophorum *propositum* fuisse sibi persuadeat necesse est, qui reputet, de eodem argumento eundem Clitomachum paulo ante perscripsisse ad M. Censorinum. Ita novimus variis de rebus philosophiam spectantibus ad Romanam juventutem scripsisse Graecos philosophos, v. c. Panaetium et Hecatonem Rhodium ad Q. Aelium Tuberonem. Sed alia sunt indicia operae a Lucilio in Graecorum philosophia positae. Lactantius enim scribit: « *Virtutem* non rite philosophi definierunt, quid esset, aut in quibus rebus: quid operis, quid habeat officii. Quaecunque autem in definitionem *virtutis* solent dicere, paucis versibus colligit et enarrat Lucilius [1]. » Refert versus eos, ne, dum multorum sententias refellat, longior esset. Addit autem, ab iis definitionibus, quas breviter poëta comprehendisset, M. Tullium traxisse officia vivendi, Panaetium Stoicum secutum. Nec tantum Academicos, sed etiam Stoicos cognovisse eum, quin, qua late patebat, philosophiam Graecam percepisse credibile est. Qui sive Panaetium ipsum audivit, sive per Scipionem in ejus doctrinae notitiam

---

1 *Inst. Div.* VI, 5.

venit, certe nactus est opportunitatem Socratis et Platonis cognoscendi.

Itaque non rude et incultum Lucilii ingenium fuit, sed variis disciplinae subsidiis *sero* formatum et exercitatum. Ex illa autem poëseos et philosophiae conjunctione egregie jam de ejus poësi existimare licet. Verum audiamus eos, qui de doctrinae ejus ratione memoriae prodiderunt. In quibus aetate primus Cicero *doctum* eum vocavit [1], quo doctrinam ejus praedicasse et magni fecisse censetur. At idem postea de eodem referens, prius judicium videtur revocasse. Scribit enim, non tam doctos Lucilii aetate fuisse, ad quorum ille judicium elaboraret, additque scripta ejus esse leviora, ut urbanitas summa appareat, *doctrina mediocris* [2]. Putant detrahi hîc Lucilio, certe minui magnopere ejus laudis opinionem, qua celebratus fuerat. Nequaquam tamen levitatis accusandum esse Ciceronem animadvertamus. Etenim *doctus* non a Cicerone vocatur, sed ab aequali Crasso haec ei laus apud Ciceronem conceditur, eamque nobis majorem fingere, quam illius ratio aetatis patitur, neque opus est nec licet. *Mediocrem* esse nec talem, qualis cum suae aetatis ubertate et copia comparari possit, Cicero ipse verbis suis profitetur [3]. Sed, qui

---

1 *De Orat.* I, 16, 72. II, 6, 25.

2 *De Fin.* I, 3, 7.

3 Idem video jam placuisse *G. E. Müllero* (*Hist. crit. Einl. zur Kenntn. der alt. lat. Schriftsteller*) I, 416. Non distinxerat *Baylius* v. Lucile p. 201 (I) inter *Crassi* et *Ciceronis* sententiam. Etiam Catonem Cicero fortissimum virum et *illis temporibus doctissimum* vocat *pro Arch.* 7.

Ciceroni adjungendus est, Quintilianus longe alia nos docet. Qui, mentione facta Lucilii, in eo scribit *eruditionem miram* esse, eumque alio loco *eruditissimum*[1] appellat. Non dissentit Macrobius, *doctum*[2] vocans. Quum his non minus quam Ciceroni legendi Lucilii potestas fuerit, neque aliunde sumtam quam propriam sententiam pronunciare maluerint, quid causae fuisse dicamus cur a Cicerone dissentirent? Si contra fuisset, ac majorem hic quam illi in Lucilio doctrinam admiratus esset, non sane moraremur judicii discrimen, quippe in aetatis progressione eandem Ciceroni admirationis excusationem praesto habentes, quam Crasso ipse antiquiori praestiterat. Dicamusne ergo, Ciceronis ingenium, omni quippe disciplinarum artiumque genere nutritum, difficilius in doctrinae copia acquiescere potuisse, facilius Quintiliani, non pariter omnia doctum? Non credo, et habet disceptatio ipsa multum cautionis. Si quid video, distinguendum necessario est, ut *mediocrem doctrinam eruditio mira* patiatur. Videtur enim Quintilianus illam multiplicem variarum rerum cognitionem scientiaeque ubertatem et varietatem intelligere, cui πολυμαθία; nomen convenit, quamque non uno loco cum *scientia* conjungit[3]. Non illam doctrinae supellectilem raram et variam, aut ejus opportunum usum Cicero in Lucilio desiderabat — ejus enim dotis, quae Quintiliano admirabilis visa est, haud certe Cicero-

---

1 *Inst. Orat.* X, 1. I, 6.

2 *Saturn.* I, 5.

3 v. c. *Inst. Orat.* I, 4.

nem vestigia latuissent — desiderabat vero illam disciplinae studiique assiduitate partam diligentiam, illam doctrinae rationem et conformationem, quae vim promovet insitam. Quam nisi intellexisset a Cicerone significari Quintilianus, non sane tacuisset cur ab ejus judicio sibi discrepandum videretur. Atque huic quidem interpretationi ipsum Lucilium suffragantem habemus. Dicere enim solebat, ea quae scriberet, neque ab indoctissimis se neque ab doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quam ipse. Itaque Scipionis ille et Rutilii et Persii, exercitatione et disciplinâ subactum, judicium reformidabat [1].

Illius vero a Quintiliano laudatae eruditionis pars existimanda est, quod a Gellio vir dicitur *apprime linguae Latinae sciens*, atque in eorum numerum refertur, qui *purissime* sunt locuti [2]. Quamobrem gravis ipsius esse solebat penes rhetores et grammaticos auctoritas. Itaque apud Varronem legimus: « Etiam illud putant esse causae quor non sit analogia, quod Lucilius scribit: decussi sive decussibus est.» Videmus Lucilio teste et auctore usos esse qui aetate ei proximi essent. Ipse vero Varro suum judicium Luciliano aliquando opposuit. Addit enim iis quae dixerat: « Qui errant, quod

---

1 *De Orat.* II, 6, 25. *De Fin.* I, 3, 7.

2 XVIII, 5, 10. IX, 14. *Macrob. Saturn.* VI, 9. *Gellius* III, 14, 10: « Jam in vicesimo manifestius Lucilius *dimidiam* horam dicere studiose fugit, sed pro *dimidiâ dimidium* ponit in hisce versibus: *Tempestate* — Nam cum obvium proximumque esset dicere *et hora dimidia tribu' confectis*, vigilate attenteque verbum non probum mutavit. »

Lucilius non debuit dubitare, quod utrumque: nam in aere usque ab asse ad centussis numerus aes adsignificat — [1]. » Idem Lucilii inconstantiam in usurpandis geminatis vocalibus carpsit [2]. Contra vero suspiciebat ejus in multis eruditionem. Testis Macrobius: « Cicero et Varro fiduciam sic componendi verba nonnisi ex antecedentium auctoritate sumserunt. Nam Quadrigarius in tertio Annalium et Lucilius in tertio Satirarum: *Ad portam mille* — Et heus tu? hisne tam *doctis* viris, quorum Cicero et Varro imitatores se gloriantur, adimere vis in verborum comitiis jus suffragandi? [3] » Ejusdem haud minor fuit apud Servium et Messalam auctoritas, ut patet e Quintiliano: « Haec fuit causa Servio subtrahendae s literae, quoties ultima esset aliaque consonante susciperetur, quod reprehendit Lauranius, Messala defendit. Nam neque Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit *Serenu' fuit* et *Dignu' loco* [4]. » — Haec quidem universe de Lucilii latinae linguae peritia dicta sufficiunt. Cui parem Graecae scientiam accessisse, ex opera Graecorum scriptis navata affirmari licet; Osce vero scivisse nusquam diserte traditur; verisimile tamen est [5].

---

1 *De L. L.* IX, 81.

2 *Q. Terent. Scaurus de Orthog.* p. 2255.

3 *Saturn.* I, 5.

4 *Inst. Orat.* IX, 4. Fortasse Ser. Claudius, de quo vid. *Disp. de Aelio Stil.* p. 81 sqq.

5 Non affirmare dubitavit *Schlosser Univ. hist. Uebers. d. Gesch. d. alt. Welt* II, 2, 243, qui eum Ennio comparat, Graece, Latine et Osce doctissimo. *Nachher lehrte Ennius die Oscische und Griechische Sprache in Rom, zeigte besonders den innigen Zusammenhang der drey Sprachen, und be-*

Acquisitae hactenus doctrinae rationem habuimus, de ipso poëtae ingenio nativo nondum diximus. Ad quod cognoscendum Horatium, quem, *prudenter* de Lucilii doctrina tacentem, praetermisimus, consulemus. Qualis igitur vis insita fuit, cui mature excolendae perficiendaeque opportunitatem defuisse doluimus? Horatius quidem, se *infra* Lucilii *censum ingeniumque* esse, Trebatio fatetur [1]. Sed serione an more suo ironice locutus est? Dubium videri posset, nisi, admiratione ductum re vera ita scripsisse aemulum poëtam, aliunde intelligeretur. Nam, suam in satira scribenda operam celebrans, haec scribit:

Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti multa cum laude coronam [2].

Tali quidem laudatione, cui consentit prior locus, consentit etiam Juvenalis, *magnum Auruncae alumnum* appellans [3], animi sententiam expressit Horatius, meritoque statuimus, de divite Lucilii vena eum nequaquam dubitasse, quin lubentem merenti laudis palmam concessisse. Ingenium autem Lucilii idem

---

wies, wie nach ihm Lucilius, den angesehenen Römern, denen Alles daran lag, ihrer Sprache ganz mächtig zu seyn, dasz sich ohne Kenntnisz der beiden andern Sprachen das Lateinische nicht gründlich erlernen lasse. Selbst Cato liesz sich von Ennius überzeugen, wie später der jüngere Scipio von Lucilius. Scipione viro Lucilius puerulus erat.

1 *Sat.* II, 1, 75.

2 *Eod.* I, 10, 46 sqq.

3 *Eod.* I, 1, 20.

iterum praedicavit [1], et cum Trebatium *docti* nomine ornaret, ab hoc Lucilium *sapientem* dici maluit [2], doctrinae quippe commendationem in eo nullam admiratus, contra aegerrime, ut decebat optimis artibus praestantissime excultum, ejus laudis absentiam passus. Admiratus vero est liberrimam ingenii vim et agitationem, quae in omni jocorum facetiarumque genere perpetuo ac facillime versaretur; quo nomine eum *facetum* et, qui *multo sale* urbem perfricuisset [3], appellavit. Haud dissimilia alii testati sunt. Quintilianus *abunde salis* [4] in eo invenit, Cicero vero, vel Crassi persona indutus, *lepide elegantissimeque ludendi consuetudinem* [5], vel ipse *facete et cum multa venustate omnique sale jocandi rationem* [6] extulit, idemque eundem in dicacissimis et facetissimis posuit, his verbis ad Papirium Paetum usus: *Te quum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et Laelios (Aelios) videre videor. Moriar, si praeter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festivitatis agnoscere* [7]. Haec festivitas qua-

---

1 *Sat.* II, 1, 67.

2 *Eod.* 78. 17.

3 *Eod.* I, 4, 7. 10, 3. Cf. *Hieron. Ep.* 47. *Ubi illa quondam constantia, in qua, multo sale orbem defricans, Lucilianum quippiam retulisti?* — *Ep.* 65. *Mordetur et Lucilius, quod incomposito currat pede, et tamen sales ejus leposque laudantur.*

4 *Inst. Orat.* X, 1.

5 *De Orat.* III, 43; 171.

6 *De Fin.* I, 3, 7.

7 *Epp. ad Fam.* IX, 15, 2 Etiam *Macrobius Sa-*

lis intelligenda sit, optime patebit, ubi quae praecedunt comparaverimus. Scripserat enim: « Accedunt (ad tuas laudes) non Attici, sed salsiores quam illi [Atticorum], Romani veteres atque urbani sales. Ego mirifice capior facetiis, maxime nostratibus; praesertim quum eas videam primum oblitas Latio tum, quum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc vero etiam braccatis et transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat. » Praeterea vero ab Horatio dicitur *emunctae naris* [1], quod recte explicuit commentator *callidus derisor*, addens: « Sic a contrario stupidum *mucosum* nominamus, quia non cito vitia odoratur. » Lambinus vero non minus bene: *sagaciter odorans hominum mores et vitia* [2].

Itaque in hominum moribus vitiisque detegendis quum promtus naturâ esset et sagax Lucilius, citius deësse materiae poëta quam hic destitui materiâ potuit. Hîc enim in memoriam eorum redimus, quae supra, quo magis pateret atque aestimaretur ejus virtus, de aetatis qua floruit vitiis animadvertimus. Quorum memores, alias ingenii dicam an animi dotes persequemur. *Libertatem* in eo Quintilianus [3] laudavit; in-

---

turn. II, 2 festivitatem ejus laudat. De qua voce cff. quae exposuerunt *Wieland Hor. Sat.* I p. 141 nota, *Manso* in *Nachtr. z. Sulzer* IV p. 430.

1 *Sat.* I, 4, 7.

2 *Jacobs Verm. Schr.* V, 239 recte conferri jubet *Epod.* 12, 3, 4 ubi *naris obesae* ipse poëta *sagacius odorari* interpretatur.

3 *Inst. Orat.* X, 1.

tellexit autem audacem, strenuum, intrepidum animum, qui de statu suo neque impendentis periculi metu neque ulla graviore cogitatione deturbari posset. Qua nisi praeditus fuisset, nullo modo resistere nascentibus et jam invalescentibus malis potuisset, sed acquievisset in tacita temporum suorum conquestione et reprehensione. Eam autem libertatem tueri etiamtum ac vindicare licebat, cujus ne nomen quidem Juvenalis postea usurpare ausus, ita questus est:

— *Unde illa priorum*
Scribendi, quodcunque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen? [1]

Naturalem igitur ingenii audaciam non excitare et incendere non poterat reipublicae in deterius labentis contemplatio, quam ut sustentaret, ut ad pristinam continentiae abstinentiaeque laudem revocaret, omni studio nisus est. Quod quidem consilium quo laudabilius et singulari industria dignius, eo majorem ingenii vim ac robur voluntatisque constantiam requirebat. Lucilium vero, eximiis mentis facultatibus, bona praesertim animi indole praeditum et omnem pariter pravitatem exosum, unum et decuit vehemens ille impetus et non destituit. Inde ei *acerbitas* [2] tribuitur, ac dicitur *acer* et *violentus poëta* [3] fuisse. Neque alia Petronio sententia scribenti: « Nunc pueri in scholis ludunt, juvenes ridentur in foro, et quod u-

---

1 *Sat.* I, 151. Prioribus intelligit Lucilium et ceteros qui hunc secuti sunt.

2 *Quint. l. l.*

3 *Macrob. Saturn.* II, 12.

troque turpius est, quod quisque perperam (puer jam) discit, in senectute confiteri non vult. Sed ne me putes improbasse schedium *Lucilianae improbitatis*, quod sentio et ipse carmine effingam [1]. » Ex quibus imitantis verbis apparet, Lucilium irati animi sensus plene largiterque effundere consuevisse. Pariter autem, ad Ciceronem scribens, Trebonius de ejus et libertate et malarum artium odio refert: « In versiculis si tibi quibusdam verbis εὐθυῤῥημονέστερος videbor, turpitudo personae ejus, in quam liberi invehimur, nos vindicabit. Ignosces etiam iracundiae nostrae, quae justa est in ejusmodi homines et cives. Deinde quî magis *hoc* Lucilio licuerit assumere *libertatis*, quam nobis? quum, etiamsi *odio pari* fuerit in eos, quos laesit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret [2]. » Ab Horatio dictus est *perfricuisse urbem — detraxisse pellem, nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis — laesisse* eosdem et *cooperuisse versibus — arripuisse primores populi populumque tributim* [3]. A Persio *secuisse urbem* et *genuinum fregisse in improbis* [4]. Omnium vero gravissime Juvenalis:

---

1 *Satir.* 4. Alii legunt humilitatis, quod sententiae obest. *Improbitatem* recte explicant de eo, quod multo sale perfricuit urbem Lucilius, Martialis laudantes *improbos Phaedri jocos* ex *Epigr.* III, 20.

2 *Epp. ad Fam.* XII, 16, 3.

3 *Sat.* I, 10, 12. II, 1, 64, 67—69.

4 *Sat.* I, 115.

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est,
Criminibus, tacitâ sudant praecordia culpâ;
Inde irae et lacrymae [1].

E quo loco et supra laudato ejusdem *ardens* et *flagrans* Lucilii animus cognoscitur irâ excandescens, si quid gravius peccatum in civitate esset, quod celari non oporteret. Quod vero dicitur ense velut stricto infremuisse, comparari possit Phocio, de quo Demosthenes illud dicere solebat, quoties suas ille rationes sublaturus surgebat: *ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς ἀνίσταται* [2], sed multo magis inde, ut penitus dicti vim persentiamus, explicandum quod scripsit Persius: *secuit urbem.*

Quaeri vero possit, utrum haec ipsi severitas et acerbitas naturâ propria fuerit, an, tempore parta, immoderatius creverit. In illa quidem opinione multos versari video, ac videntur eam re vera commendare quaecunque hactenus posteriorum scriptorum judicia et testimonia adhibuimus. Sed latent nos alia haud negligenda. Horatius eum *comem* et *urbanum* [3] vocavit atque, iterum priore appellatione usus, videtur eum opponere ei, quem doctum appellaverat. Versus hi sunt:

— *Age, quaeso,*
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Accî? [4]

---

1 *Sat.* I, 165.
2 *Plut. vita Dem.* 6. Cf. omnino *Hor. Sat.* II, 1, 40.
3 *Sat.* I, 10, 64.
4 *Eod.* 50.

Multis interpretibus ironiam in vocabulo *comis* invenire placuit: alii putaverunt, studiose eo usum esse Horatium, quod Lucilii admiratoribus sic poëtam appellandi et honorandi mos invaluisset. Quamvis fatendum sit, Horatium antea carpsisse quosdam verbis *comis* et *urbanus* abusos[1], tamen neutra sententia ferri potest: nam neque ullam esse dissimulationis quaerendae rationem, seria vocabuli repetitio monet, alteram autem speciosiorem aliorum refutari testimoniis videbimus. Aliquanto verisimilius videatur, si quis, ea animadvertens quae Horatius de Graecorum comicorum studio, quod Lucilii proprium fuisset, monuerat[2], *comem* significare arbitretur *comicum*, et *tragico* opponi. Sed neque haec ratio satisfacit verum investigantibus. Quare proxima consideranda sunt, ut priora illustrentur. Sequitur enim:

Non ridet versus Ennî gravitate minores
Cum de se loquitur non ut majore reprensis?

Illa igitur comitas eo constabat, quod aequissimo judicio suum pariter atque alienum opus dijudicabat, quod infensus nemini, nemini molestus acerbusque videri poterat, qui haud leniore judicio aut moderatiore animo sua vitia ac peccata, quam aequalium suorum, persequebatur, sed sine amore aut studio suas cuique, quibus dignus esset, aut laudes aut reprehensionem impertitam cupiebat. Haec est illa judicii sanitas atque aequabilitas, quam desideratam omni aevo esse, vix unquam eluxisse inviti fatemur. Sed

---

1 *Sat.* I, 4, 90.
2 *Eod. init.*

ob eandem virtutem etiam *urbanum* dici vidimus, Horatio aliis consentientibus. Apud Ciceronem Crassus *perurbanum* vocat[1], qua in laude praedicanda consensit ei prorsus Cicero, *summam urbanitatem* in ejus scriptis laudans[2]. Idem testatur commentator vetus: « Horatius, *Luciliana urbanitate* usus, in transitu amaritudinem adspersit[3]. » Locum autem poëtae, ad quem haec referuntur, legentibus palam fit, qualis illa et comitas et urbanitas, qua commendatur Lucilius, fuerit. Namque Horatius totus in eo versatur, ut Stoicos irrideat, aliena vitia mirâ sagacitate odorantes, suorum oblitos. Quos ut commodius carpat, ex subita ac gravi aliorum reprehensione in semet conversus, quaerit:

Nullan' habes vitia? Imo alia et haud fortasse minora.

Quibus verbis *et* cetera audituros benivolentiâ obstringit, *et* sibi liberius dicendi jus, quasi impetratâ veniâ, sumit. Similiter Lucilius — cujus, quam supra[4] memoravimus, *vernaculam festivitatem* haud alienam ab urbanitatis interpretatione esse facile perspicitur, cujusque *urbanos* fuisse *sales* constat[5] — procul abfuit ut, naturali quadam animi malevolentia aut tristi morositate abreptus, hominum consilia ac studia damnaret, nec quidquam boni in eorundem actionibus ac

---

1 *De Orat.* I, 16, 72.
2 *De Fin.* I, 3, 7.
3 *Comm. Cruq. ad Hor. Sat.* I, 3, 40 p. 333.
4 p. 85.
5 *Comm. Cruq.* p. 398 b.

moribus laudare vellet. Namque novimus hanc ejus fuisse sententiam virtutem definientis:

Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare hos[1], *his bene velle, his vivere amicum;*
Commoda praeterea patriae sibi[2] *prima putare,*
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra[3].

Haec igitur probavit ille. Quare vix possumus existimare, eam indoli ejus *naturâ* propriam fuisse acerbitatem, quam ei tributam vidimus. Quippe non odio ductus homines momordit ac proscidit, sed vehementi ardens virtutis tuendae propugnandaeque studio et summa aequitate cum eam ipsam colens, tum quotquot ei essent amici, omnem animi alacritatem, omnes ingenii vires intendebat, ut eam civitati restitueret dignitatem, quam quisque maxime expellere conaretur.

---

1 In *Cod. Goth.* Hos magni facere — Cff. *Acta Soc. Lat. Jen.* I, 65.

2 In *eod.* sibi omissum. Fuit qui patriai scribendum censeret. Cff. *Acta l. l.*

3 *Lact. Inst. Div.* VI, 5.

DE POËTICA LUCILII FACULTATE.

Studiosius singula, quae ad illustrandam Lucilii indolem atque ingenium faciebant, persecuti sumus, quoniam haud e vulgari hominum genere vir ille fuit, sed dignus quem accuratius cognosceremus. Ejusdem vero cum in poëseos Romanae historia celebre nomen fuerit, hîc jam, qualis poëta existimandus sit fuisse, quaerere juvat. Nec tamen quidquam proprii proferemus, quod ne postulandum quidem est exiguam, quae superest, ampli operis partem cogitantibus. Non enim nos judices fortuna constituit, sed alieni judicii narratores et interpretes. Quare ea relaturi, quae integrum ingenii monumentum possidentibus probata esse cognovimus, satius duximus varia scriptorum testimonia, aetatis qua vixerunt ratione, exhibere.

Ac primum quidem — qui mihi videtur esse L. Aelius Stilo — Auct. ad Herennium de vitanda verborum transjectione monens, addit: « Quo in vitio est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro:

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli[1]. »
Aliud ejusdem vitii exemplum exhibuit Cicero:

— *Tubulus si Lucius unquam,*
Si Lupus, aut Carbo, Neptuni filius,

ut ait Lucilius, putasset esse Deos —[2]. Hinc continuo patet, negligentiorem fuisse Lucilium, qui nomina propria disjungere non vereretur.

Hic Cicero nobis memorandus, quod Lucilii scripta *leviora* appellavit. Quod vocabulum si quaerimus quemadmodum accipiendum sit, sententia tota apponenda erit: « Nec vero, ut noster Lucilius, recusabo, quominus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius! Scipio vero et Rutilius multo etiam magis: quorum ille judicium reformidans, Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere. Facete is quidem, sicut alias; sed neque tam docti tunc erant, ad quorum judicium elaboraret, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris[3]. » Eodem modo Cicero histrionum artem *levem* et *perquam tenue* artificium dixit; poësin item *levioribus* artibus adscripsit[4]. Scenicam artem eloquentiae opponens, hanc *maximam* vocavit; similiter eam, quae *levior* videri posset, orationem ceteris, quae *summa* sunt, opposuit[5]. Itaque mino-

---

1 IV, 12, 18. *Disp. de Ael. Stil.* p. 96.

2 *De Nat. D.* I, 23, 63.

3 *De Fin.* I, 3, 7.

4 *De Orat.* I, 5, 18. 28, 129. *Bruto* 1. — (*Plinii*) *Dial. de Oratt.* 10.

5 *Pro Arch.* 6.

ris faciens Lucilii scripta, cum poëticas virtutes tum operis materiam respexit. Quippe cultum illum artisque perfectionem, qua commendari poëmata solent, desiderabat, displicebatque doctrinae mediocritas, qua fieret ut rudia atque inchoata, non elaborata atque absoluta viderentur, quae fudisset, carmina. Quod ipse probe sensit poëta, qui ea quae scriberet se neque ab indoctissimis neque ab doctissimis legi velle dixerat, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quam ipse [1]. Nec tamen Cicero, quamvis ita verissime judicaret, sprevit omnem Lucilii poësin: nam inseruit scriptis suis cum alios aliorum poëtarum, Ennii, Accii, Pacuvii, tum vero Lucilii versus [2], eosdemque tam saepe studioseque memoravit, ut magnopere iis gavisum et cum sententiarum, quas continerent, gravitate commotum, tum jocorum facetiarumque luminibus oblectatum esse facile intelligas.

Atque ita quidem ad Varronem pervenimus, cujus de Lucilii poësi judicium servavit Gellius: « Et in carmine, scribit, et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci χαρακτῆρας vocant, nominaque eis fecerunt ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. Nos, quem primum posuimus, *uberem* vocamus, secundum *gracilem*, tertium *mediocrem*. *Uberi* dignitas atque amplitudo est; *gracili* venustas et subtilitas: *medius* in confinio est, utriusque modi particeps. His sin-

---

1 *De Orat.* II, 6, 25.

2 *Quint. Inst. Orat.* I, 8. Cf. *Cic. De Orat.* III, 23, 86. 43, 171. *Bruto* 79, 274. *Orat.* 44, 149. *De opt. gen. oratt.* 6, 17. *Tusc. Q.* II, 17, 41 —

gulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero, quae earum modum et habitum simulachris falsis ementiuntur. Sic plerumque *sufflati* atque *tumidi* fallunt pro uberibus, *squallentes* et *jejuni* dicti pro gracilibus, *incerti* et *ambigui* pro mediocribus. Vera autem et propria hujuscemodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit *ubertatis* Pacuvium, *gracilitatis* Lucilium, *mediocritatis* Terentium [1].» Videmus, principem locum in singulari poëseos forma Lucilio a Varrone tributum esse; unde, quantam ille doctissimo viro moverit admirationem, cogitari potest. Gracilitas autem ea, cujus verum propriumque exemplum Lucilius existimatur, venustate et subtilitate, Gellio judice, constat. Eandem Menelao ab Homero, Critolao Peripatetico a P. Rutilio Rufo et Polybio tributam narrans, interpretatur « *cohibitum* dicendi genus » et, qui *scita* et *teretia* dicat, gracilem haberi. Similiter Quintilianus *Lysiacam gracilitatem* loquitur [2], quidque eâ intelligat aperit, ubi « sermonem purum et nihil se supra modum extollentem » exponit [3]. Idem etiam docens, quo valeat triplex dicendi genus, quod memoraverat, *docendi* officium gracili sive subtili generi vindicat, ac praecipue *acumine* illud a ceteris duobus distinguit, et *ratione narrandi probandique* consistere contendit [4]. — Quae omnia si reputaverimus, facile in-

---

1 VII, 14. Vid. *Schlosser Op. l.* II, 2, p. 259.

2 *Inst. Orat.* XII, 10.

3 *Eod.* I, 9.

4 *Eod.* XII, 10.

de Varronis de Lucilianae poëseos charactere sententiam assequemur. Sed comparatione corporis rem illustrabit Cicero, qui, de Lysia agens, habere eum certos sui studiosos scribit, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur; quos, *valetudo* modo bona sit, tenuitas ipsa delectet [1].

Accedimus ad Horatium, locupletiorem auctorem. Is, quod prius de Lucilio poëta judicium tulerat, excitatus ab iis, apud quos ob ingenuam veritatis confessionem male audiebat, deinde exposuit et illustravit. Ordiamur ab iis, quae ei invidiam conflarunt. Postquam festivo et acuto subtilique ingenio eum esse dixit, addit:

— *durus componere versus.*
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles,
Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte, nam, ut multum, nil moror [2].

Durus componere, teste Comm. Cruq., est asper in componendis versibus. Sed quid *componere?* Aperit ipse poëta:

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili [3].

Itaque non in *durus*, sed in *componere* praecipua vis est. Deerat, ait, Lucilio illa diligenter studioseque faciendorum versuum facultas, quam acquirere non modo non studuit, sed ne voluit quidem. Apertius

---

1 *Bruto* 16, 64.
2 *Sat.* 1, 4, *init.*
3 *Eod.* 10 *init.* Cf. Jacobs *Verm. Schr.* V, 240.

idem, ubi requiri in ejus poëmatibus *versiculos magis factos et euntes mollius*[1] perhibet. Inconcinnam istam rudemque versuum conditionem in Lucilii fragmentis interpretes jure animadverterunt: majore jure Horatius, qui integros ejus libros habebat, affirmavit:

— *quis tam Lucilî fautor inepte est*
Ut non hoc fateatur?

Neque aliud judicium esse de eo poterat, qui ipse morem suum indicavit quum scriberet:

— *et jam*
Conjicere in versus dictum praeconi' volebam
Granî[2].

Idemque efficitur ex Albucii irrisione: in quo sic fecit jocantem Scaevolam Lucilius:

Quam lepide lexeis compostae! ut tesserulae omnes
Arte pavimenti atque emblemate vermiculato
Structae[3].

Ex hoc autem more, a quo nunquam flectebat Lucilius, necesse erat ut plura vitia orirentur. Ac primum quidem illud est, in quo urbanissime se Lucilii similem Horatius fingit, quod soluto metro sublatisque numeris vix quidquam supersit in Luciliana poësi, quod colorem poëticum ostendat. Neque enim sufficere ei, qui poëtae laude dignus haberi velit,

---

1 *Sat.* I, 10, 57.

2 *Lucil. Fragm.* XI, 6.

3 *Id. inc. fr.* 4. Structae addidi ex *Cic. Bruto* 79, 274. *Quint. Inst. Or.* IX, 4. Pavimenti pro pavimento ex *Scaligeri adnott. ad Manil.* p. 453, monentis pavimenti artem esse tessellationem.

ut *puris versum perscribere verbis* possit, sed alia majora requiri. Quemadmodum igitur linguae Latinae puritatem non minus Horatius quam ceteri, quos laudavimus [1], in Lucilio tanquam aliud agens probavit, anne contra spiritum acrem ac vim, quae verbis pariter rebusque insit, desideravit [2]? Sic enim scribit:

— *His, ego quae nunc,*
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est
Posterius facias, praeponens ultima primis,
Non, ut si solvas: «Postquam discordia tetra
Belli ferratos postes portasque refregit»
Invenies etiam disjecti membra poëtae [3].

Non negligendum est, universe in hac satira *et* suas laudes extenuasse Horatium [4] *et* totum satirarum genus parvi duxisse, ut obtrectatores suos, qui et poëtam et poëseos genus, quod tractabat, petierant, repelleret. Namque etsi ut hîc *sermoni propiora* [5], ita alibi *sermones repentes per humum* [6] satiras appellet, etiamsi putandus sit serio dubitasse an poëma esset satira, tamen manifestum est, illis versibus ridere eum voluisse eos, qui spiritum acrem et vim illam verbis re-

---

1 Sup. p. 82.

2 *Sat.* I, 4, 46.

3 *Eod.* 56 sqq.

4 Cf. Supra p. 91, ubi pariter sibi detrahentem poëtam vidimus.

5 *Sat.* I, 4, 42.

6 *Epp.* II, 1, 250.

busque communem in satira inepte postularent. Quod vel adhibita Ennii verba demonstrant. Non enim Horatio serio in mentem venire poterat, epicam poësin, quae verborum granditate et majestate excelleret, memorare, ut cum ea comparatam satiram, quae humili sermone et sine fastu incederet, detrectaret. Quin meditate eos ipsos Ennii versus excitavit, qui grandiores essent, quum alios potuisset, quos *gravitate minores*[1] risisset Lucilius. Quocirca recte existimabimus, non reprehendisse id in Lucilio Horatium, quod versus ejus vi carerent epica et acri spiritu destituti essent, sed stili ejus negligentiam et incuriam carpsisse, qua factum esset ut ducentos saepe in hora versus dictaret. Quod additur *ut magnum* significat: velutsi magni momenti res esset et inaudita[2]. Num igitur ea ipsa facultate aliquantum superbiverat Lucilius? Potius credo adversariorum Horatii, Lucilii admiratorum ea verba esse; quos etiam objicientes induxit: « At *magnum* fecit, quod verbis Graeca Latinis miscuit! » Irridet igitur eos, qui obstupescebant incredibili illa Lucilii facilitate; quippe ipse « raro et perpauca scribens » non morari se fatebatur, ut multum scripsisset Lucilius[3]. Atque in ista quidem versuum copia paranda aemulum ejus recordamur subaequalem Ciceronem, qui dicitur, *ὁπηνίκα ῥυείη πρὸς*

---

1 *Sat.* I, 10, 54.

2 Cf. *Sat.* I, 10, 59 ubi hoc tantum eadem ratione interpretari debemus, quippe appositionem.

3 *Eod.* I, 4, 13, 18.

τὸ τοιοῦτον, τῆς ῥυθμοῦ ἕνεκα ποιεῖν πεντακόσια [1]. Quid vero illud sit, quod Lucilius fertur *stans pede in uno* versus fudisse, non assecuti interpretes videntur. Referunt enim ad celeritatem, festinantius e verborum specie sapientes. Malim ambigue dictum referre ad perpetuum ejusdem metri usum i. e. hexametri, quem praecipue in carminibus adhibuisse licentissimeque usurpasse Lucilium fragmenta docent. Nec temere equidem ab illis dissentio. Nam, de eadem re agens, *pedes senos* i. e. hexametrum memoravit [2].

Non mirum igitur propter festinationis et incuriae vitium etiam *garrulitatem* in Lucilio Horatium reprehendisse, de qua num dubitabimus Quintilianum dicentem probare: « Extemporalis garrulitas, nec exspectata cogitatio, et vix surgendi mora, circulatoriae jactationis est [3]. » Profecto dignum vitium erat, quod perstringeret poëta, qui rectissime statueret « brevitate esse opus, ut currat sententia, neu se impediat verbis lassas onerantibus aures [4]. » Atque hinc sponte ad tertium vitium accedimus; nam *fluere lutulentus* perhibetur, atque esse in carmine quod tollere velles. Itaque non currebant libere sententiae, sed se impediebant verbis redundantibus et versibus scabris. Hoc judicium aegerrime tulisse Lucilii fautores inde efficitur, quod rediit deinde eodem Horatius:

---

1 *Plut. Cic. vit.* 40.

2 *Sat.* I, 10, 58. *Idem eod.* II, 1, 28.

3 *Inst. Orat.* II, 4.

4 *Sat.* I, 10, 9.

At dixi, fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis [1].

Moneor hîc Vulpium excitare, praeclare locum explanantem ex Callimachi hymno in Apollinem. Huic enim Invidia insusurraverat, se non nisi prolixi carminis auctores mirari, despicere vero qui magnum poëma condere non possent. Tum Apollo: « Assyrii fluminis, Euphratis, copiosus est fluxus; at lutum, quisquilias, faecem secum trahit. Cereri autem non ex omni fluvio libant Melissae sacerdotes, ex eo tantum latice, qui, e fonte sacro scaturiens, parvus quidem serpit sed purus et nulla sorde infectus [2]. » Sed audiamus porro Horatium: nam, percontatus adversarios de Homero, ipsius Lucilii, quem unum probabant, exemplum exhibet, quem constabat multum in Accio Ennioque carpsisse, nec tamen iis se *majorem* tulisse. Neque iccirco sibi minus, quippe Lucilio se *minorem* fasso, se arbitrari licere judicem antiqui poëtae esse, ingenueque fateri

Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
Detereret sibi multa; recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.

---

1 *Sat.* I, 10, 49.

2 *J. A. Vulpius de Satyrae Latinae natura et ratione* rell. Patav. 1744 p. 108. Libentius credo Horatio Callimachi in mentem venisse, quia Invidiae nomine Apollonius Rhodius videtur significatus, qui, longiora ipse carmina condens, Callimachum raro et perpauca canentem contemnebat. Eadem autem Lucilii et Horatii ratio, nisi quod huic non cum illo, sed cum ineptis admiratoribus ejus res erat.

Hic plura sunt animadvertenda. Primum haud multo lenius, quam ante fecerat, judicantem Horatium videmus. Universe enim dixerat, *erat quod tollere velles:* hic addit, *saepe trahentem plura tollenda relinquendis.* Sed concedit contra *limatiorem* fuisse non solum quam seniorum poëtarum turbam, verum etiam quam exspectari potuisset a satirae auctore. Imo vero uberiorem laudem eidem tribuit, *perfecta* in ejus poëmatibus haud desiderari ostendens, quamvis obruta essent faece et quisquiliis, quibus vel optima lutulenta reddi oporteat et cursus liber impediatur.

Antequam ad cetera Lucilii vitia veniamus, superest ut constet, quid causae Horatius existimaverit fuisse cur ille non majorem curam ac diligentiam in scribendo praestitisset. Qua de re sic primum exposuit:

— *piger scribendi ferre laborem,*
Scribendi recte, nam, ut multum, nil moror.

Dictandi morem Lucilii fuisse, paulo ante memoraverat, ac fortasse Metrophanem, columellam suam, propter probata in hac opera officia meritissimo epitaphio honoravit poëta[1]. Mos autem ille sic unice conveniebat ingentem versuum vim brevissimo tempore fundenti, ut non mirum sit scribendi moram ei displicuisse. Quare fugiebat scriptionem, aut, si quid literis mandabat, nihilo sedatiore animo vel mente intentiore elaborabat. Sed unde illud scribendi taedium, quod sedulam compositionem tollebat et garrulitatis efficiens erat? Rogat Horatius:

---

1 Vid. supra p. 61.

Quid vetat et nosmet, Lucili scripta legentes,
Quaerere num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum, contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus — [1].

Causam igitur posuit aut in poëtae ipsius ingenio, aut in dura rerum natura. Qua quid intelligi deberet, non dubii haeserunt interpretes, de earum rerum, quas scripsit Lucilius, difficultate explicantes [2]. Quasi illa rerum describendarum natura alia fuisset Lucilio, alia Horatio ceterisque satirarum scriptoribus. Ineptissimum commentum, quod ratio ipsa repudiat. Rerum natura est temporum ratio, quibus floruerat, quae dura fuisse dicitur i. e. infesta talisque, quae stili concinnitatem et elegantiam scribendique patientiam non tulisset. Atque ita ad illam, quam memoravit Cicero, *doctrinae mediocritatem* revocamur, quae ex disciplinae bonorumque magistrorum inopia exstiterat. Hoc vitio, quod commune temporum illorum, et Lucilii in primis juventutis proprium fuerat, acciderat, ut rudior poëmatum ejus forma ac ratio esset, ut garrulus et durus esset componere versus, ut lutulentus flueret et scribendi impatiens. Nam si Lucilii *naturae* et *ingenio* idem tribuendum censuisset Horatius, scribere non potuisset, eum, si in suum aevum delatus esset, multa detriturum sibi fuisse.

Lucilium Horatius cum duobus poëtis Romanis com-

---

1 *Sat.* I, 10, 56 *sqq.* Cf. sup. p. 100 not. 2.

2 *Comm. Cruq.* p. 399 b. Cff. *Doering Ed. Hor.* III p 110. *Düntzer Krit. u. Erkl. d. Sat. d. Hor.* p. 261.

paravit, cum Cassio Etrusco et Decimo Laberio. Illum, aetatis Horatianae virum, fama erat capsis et libris propriis ambustum fuisse. Ut Crispinus, refertur in eorum numerum, qui plurimum scriptitarunt, eique poëta ingenium fuisse dicit *rapido ferventius amne*. Tale igitur ingenium etiam Lucilii fuit, quod et celerrime moveretur et semel commotum non facile defervesceret. Sed gravior videtur Laberii, praestantis poëtae, cum eodem similitudo. Verba sunt Horatii, pristinum suum de Lucilio judicium confirmantis:

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, chartâ laudatur eâdem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberi mimos ut pulcra poëmata mirer.

Negat poëta sibi Laberii mimos placere, quippe iisdem vitiis laborantes, propter quae Lucilii versibus venustas auferretur. Pauca de Laberio nota sunt. *Asperae libertatis* fuit, qua in re Lucilium retulit. Idem etiam *dicacitate*[2] pollebat, qua laude novimus quantopere idem excelluerit. Laberii vero vitia nulla quidem diserte memorantur; sed in mimi prologo, qui servatus est, recte inconcinnitatis et garrulitatis vestigia animadversa sunt[3]. E quibus vestigiis si efficimus, in ipsis mimis, qui perierunt, saepius ab eo peccatum

---

1 *Sat.* I, 10, 62. Cf. 4, 14.
2 *Macrob. Saturn.* II, 7.
3 Cf. *Wieland Hor. Sat.* I, 294—301.

esse, assequi nobis licebit, quare offenderit in iis Horatius, brevitatis, quam deinceps commendat, studiosissimus. Sed aliud praeterea est, quod in utroque tangere videtur. Nam, factâ Laberii mentione, prudentem *tristis* et *jocosi* sermonis temperationem unice probat, ita tamen ut quamvis neuter abesse possit, in *ridiculo* et *jocoso* plus sit efficaciae:

— *Ridiculum acri*
Fortius et melius magnas plerumque secat res.

Itaque cum risus, explicante Quintiliano [1], maximarum rerum momenta vertat, vitiosum in eo fuisse Laberium Horatius significat, quod effusiorem risum spectatoribus movere niteretur, nec satis sermonis varietati, seriis interponendis, consuleret. Quod immoderatum risum excitandi studium ut dedecebat mimum, ita defecerat prorsus Lucilio. Hujus acer et tristis plerumque sermo erat; nesciebat tempestivis jocis seria condire et exhilarare; mordendi et contumeliose lacessendi quam lepide irridendi ludendique studiosior. Nec gravitatem jucunditate, neque venustate acerbitatem satis ubivis moderabatur. Quamquam non plane ridiculo et jocoso orationis genere abstinuisse videtur faceti ingenii vir; probant id jocorum ac salium facetissimorum in fragmentis indicia. Defuisse vero eam in usurpandis seriis ac jocis aequabilitatem, ut modo indignantis irata vox, modo leniter ludentis sermo acciperetur, hinc maxime intelligitur, quod Horatius ita sibi suadentem Trebatium facit:

---

1 *Inst. Orat.* VI, 3.

Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem.

Utrumque enim nebulonem ante Horatium Lucilius dicitur acriter carpsisse [1]. Ac mihi quidem Horatius, hujus praecepti gravitate motus, jam demum sibi recte judicasse videtur antiquos comicos Graecos. Nam quum ante scripsisset, hosce Lucilium secutum esse totumque ab his pependisse, jam ad eundem rediens, eumque cum illis contendens, pristinum errorem sustulit. « Hoc stabant, ait, hoc sunt imitandi illi, qui priscam comoediam scripserunt [2] », laudans admirabilem et singularem eorum dotem, quae non solum orationis brevitate ac concinnitate, verum etiam apta jocorum seriorumque varietate cerneretur.

Superest aliud vitium ab Horatio in Lucilii poësi notatum, quod hujus admiratoribus laudis instar videbatur. Facit enim eos objicientes:

At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit.

Hunc quidem Graeca immiscendi morem, quem veterum poëtarum Romanorum communem dicit Macrobius [3], nondum Horatius in quarta satira carpserat. Quare videntur ejus adversarii, cetera, quae tum tetigerat, refutare conati, magnopere extulisse ac praedicasse admirabilem illam scilicet Lucilii facultatem; cui non ut Horatio suffecisset Latinâ linguâ in poëmatibus uti, sed gratiae varietatisque causâ Graecae quoque divitiis frui placuisset. Satis ostendunt fragmenta,

---

1 *Auctar. Comm. Cruq.* p. 691.
2 *Sat.* I, 10, 15.
3 *Saturn.* VI, 4.

quantopere huic inepto insulsoque studio indulserit Lucilius, quod ad imitationem quotidiani sermonis ac vitae communis pertinuisse censuit Casaubonus [1]. Sed isti ut pervincerent, laudabile ejus fuisse et perquam venustum artificium, vina mixta crepuerant dicentes:

— *At sermo linguâ concinnus utrâque*
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.

In quibus animadvertenda est vox *concinnus*, qua cum nihil, ut supra docuimus, a Lucilii poësi magis alienum esset, studiose usus est, ut ineptam licentiam ineptiorem redderet.

Tale Horatii judicium de antiquiore poëta fuit, longe quidem dissimile Varroniano. Non enim *gracilitatis* exemplum, sed *garrulitatis* ab eo habitus. Veruntamen etsi liberrime sententiam provocatus tulisset, ingenue tamen simul inventori satirae se postposuit, cujus *infra ingenium* esset, quem *sequeretur*, cuique detrahere non auderet

haerentem capiti multa cum laude coronam [2].

Sequitur Petronius, qui in Satirico semel Lucilii mentionem fecit eo loco, ubi queritur de sui temporis disciplina, quem supra descripsimus [3]. *Schedium* exposuit Festus « genus navigii inconditi, trabibus tantum inter se connexis facti, quo mercimonia circumferunt post amissam navem. (Lucili)us quoque poëmata et versus, non satis perfecti qui essent, appellavit *schedia*, cum dixit: *qui schedium faciunt incon-*

---

1 *De Satyr. poësi* p. 278.
2 *Sat.* I, 10, 48. II, 1, 34, 75.
3 p. 87.

ditum et inelaboratum. » Hinc illud Appuleji: « Neque enim metuo, ne in frivolis displiceam, qui in gravioribus placui. Sed ut me omnifariam noveritis, et in isto, ut ait Lucilius, schedio et incondito experiamini, an idem sim repentinus, qui praeparatus [1]. » Collatis his locis efficitur, expressisse Lucilium, quum illo vocabulo uteretur, suorum poëmatum rationem, talem illam, qualem modo ab Horatio accepimus fuisse. Tumultuarium enim prorsus erat atque ex tempore fundebatur, quidquid in mentem veniebat; nihil meditationis ante quam scripto sua mandaret aut dictaret servis, nihil, postquam illuserat chartis, curae et expolitionis. Tantum aberat, ut versus tesserularum essent instar, pavimenti arte atque emblemate vermiculato elaboratarum, ut rudes trabes subito et sine arte conflatas verissime referrent. Tale *schedium* [2] Lucilianae improbitatis Petronio non displicuit; quapropter, ut Appulejus, eo usum se profitetur.

Plinii majoris haec sunt in operis praefatione verba: « Praeterea est quaedam publica etiam eruditorum rejectio. Utitur illa et M. Tullius, extra omnem ingenii aleam positus, et (quod miremur) per advocatum defenditur. *Nec doctissimis: Manium Persium haec legere nolo, Junium Congum volo* [3]. Quod si hoc

---

1 *Florid.* 22 p. 150. Cff. *Apoll. Sidon. Epp.* VIII, 3. *Auson Idyll.* VII p. 340.

2 Σχέδιον etiam librorum titulum fuisse tradit *Plinius H. N. Praef.*

3 In *Edit. Veneta* a. 1469 legitur: *Nec doctissimum omnium Persium hoc legere volo, Lelium Congium volo.*

Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putavit; si Cicero mutuandum, praesertim cum de republica scriberet, quanto nos causatius ab aliquo judice defendimus? » Ciceronis sententiam ex praefatione librorum de Republica esse, recte Harduinus statuit. Lucilii autem verba Cicero mutavit, ut suae fortasse aetatis non illiteratum hominem intruderet [1]. Verum illud, quapropter Plinius nobis memorandus erat, *qui primus condidit stili nasum* explicandum nobis est. Consentiunt interpretes, stili nasum de satira mordace et immani reprehendendi licentia accipientes, quod num recte faciant vereor. Video tamen, nonnemini Plinianum *stili nasum* subobscurum visum esse [2]. Neque immerito: sed, diligenter exploratâ sententiâ, vix credo *stilo* hîc satirae significationem tribui posse. Indicavit enim historiae naturalis scriptor, verecundiâ motos Lucilium et Ciceronem, quos sibi lectores expeterent, ostendisse; tanto magis sibi idem licere se arbitrari. Itaque referri haec ad ipsam linguam, ad scribendi gratiam et elegantiam putem, non laudem praedicari Lucilii, qua primus stilum in malos acuisset, quae laus ab hoc loco plane aliena est. Nasus autem quo jure quaque ratione de stilo dicatur, obscurum est; neque enim quidquam aliunde, quo dictio illustretur, afferri potest. Mihi quidem vocabulum aut prodere videtur negligentius scribentem, qui causatius

---

1 Cf. supra p. 82. Quod apud Ciceronem est *ad Att.* XVI, 11: *Perstringam — ut sciant* παῖδες παίδων *sine vallo Luciliano*, recte ad eam sententiam Lucilii refertur. Cf. *Wieland Cic. Brief. übers.* VII p. 106.

2 *Plum Ed. Persii* p. 152.

ab aliquo judice defenderetur, aut, quod verisimilius sit in *ansam* mutandum, ut stili ansam dicatur condidisse, qui pure accurateque scripsisset. Et sic quidem Plinius Luciliani sermonis virtutes extulisse ac magni fecisse videatur atque id ei laudis vindicasse, quod primus recte scribendi formam expresserit. Nec tamen id unice voluit. Nam, ut Lucilius sibi, mediocriter docto, mediocriter doctos lectores optaverat, ita idem se *Tarentinis*, *Consentinis* et *Siculis* se scribere fassus erat. Quo judicio usus est, ut rerum et argumentorum tenuitatem excusaret. Similiter Plinius verbis, quae laudavimus ex praefatione, praemisit: « Non similis est conditio publicantium et nominatim dicantium. Tum possim dicere: Quid ista legis, imperator? *humili vulgo scripta sunt*, *agricolarum*, *opificum turbae*, *denique studiorum otiosis:* quid te judicem facis? »

Quintiliani de Lucilio judicium jam partim attigimus [1]. Restat ut reliqua persequamur. Scribit, primum eum *insignem* laudem adeptum esse in satira, seque non minus ab iis dissentire, qui omnibus eum poëtis praeferrent, quam ab Horatio, qui eum *fluere lutulentum* et *esse aliquid*, *quod tollere possis*, putaret: nam et eruditionem in eo miram esse et libertatem atque inde acerbitatem et abunde salis [2]. Mirum multis accidit, quo modo ab Horatio intelligentissimo judice Quintilianus, haud multo inferior illo, discrepare potuerit, quum eae dotes, quibus

---

1 p. 81, 85.

2 *Inst. Orat.* X, 1.

abundare antiquum poëtam significet, facile consistant cum vitiis, quae notavit Horatius. Sit enim aliquis omni eruditionis copiâ instructissimus, poterit eâ ipsâ sic abuti ut multum moveat, parum promoveat, poterit sic in omnem partem exspatiari, ut impedimento magis quam emolumento cumulatae sententiae sint: sit vero facetissimus et dicacissimus, verendum erit ne nimis sibi placeat, ne obruatur ludentis ingenii copiis, ne mergatur ac pereat salse dictorum acumen, quod justa sermonis brevitate eluxisset. Itaque illae ipsae in scriptore ingenii virtutes et ornamenta gravissime obsunt, nisi prudenter sciteque adhibeantur. Sed praeterea mirum Quintilianum negare videri, in Lucilio esse quod tollere possis. Si enim carpsisset Horatium, quod is *plura tollenda relinquendis* censuisset in Lucilii poësi, judicii severitatem rectius fortasse reprehensurus fuisse videretur. Equidem suspicor ea, quae Quintilianus memoravit, Horatianae sententiae aliqua ratione opposita esse. Quod enim objicit eruditionem miram, eo valet ut ostendat, non sordium ac luti instar ea habenda esse, in quibus detegere possis amplas variae doctrinae divitias; quas si ut quisquilias sustuleris, verendum erit ne et laude hac spoliaveris poëtam, et illos simul abstuleris per omnem poësin diffusos sales et fregeris παῤῥησίας vim omnem et retuderis acerbitatem. Utut est — neque enim rem dirimere nobis licet, etiamsi cognoscamus e Lactantio[1], *circumscripte breviterque* nonnulla eum

---

1 *Inst. Div.* V, 9, 20. VI, 5, 2.

exposuisse — fatendum, tantam Quintiliano illas, quas praedicavit, Lucilii laudes admirationem movisse, ut in explorandis vitiis aequi judicis partes non sustineret. Quamquam non negligendum est, aliqua ex parte eum assensum esse Horatio Lucilium reprehendenti. Qui quum perhibuisset, si suum in aevum ille delatus foret, multa sibi *detriturum* esse, Quintilianus Lucilio Horatium, ut multo *tersiorem* et purum magis, anteposuit [1].

Praeterea memorandus est Commentator Cruquianus, qui ad Horatii satiram primam haec notat: « Satyra Horatii inter Lucilii satyram et Juvenalis est media: nam et asperitatem habet qualem Lucilius, et suavitatem qualem Juvenalis. » Audacter Dousa reponit pro *asperitatem acerbitatem*, quam apte suavitati opponi, quae statim Juvenali tribuitur, nemo negaturus esset; praeterea acerbitatem propriam esse Satyrographorum [2]. Audacius ille quidem; nam ex posteriore voce *suavitas* efficitur, non de acerbitate satirici carminis sed de linguae asperitate sermonem esse. Quare idem commentator: « fateor, ait Horatius, me dixisse, quod *asperos* Lucilius et incompositos versus scripserit [3]. » Praeterea Martialis eandem interpretationem confirmat; irridens Chrestillum, qui carmina improbaret, quae molli limite currerent, pro-

---

1 Cf. *Manso* in *Nachtr. z. Salz. l. l. Wieland Hor. Sat.* I p. 144.

2 *Ad Luc. fr.* p. 98 b.

3 *Ad Hor. Sat.* I, 10, 1, 4, 8. Cf. *Vulpius de Sat Lat.* p. 110.

baret ea quae per salebras, et alta saxa caderent, quale Lucilii esset epitaphium [1].

Alius vetus Interpres ad Horatii verba *juvat immemorata ferentem Ingenuis oculisque legi manibusque teneri* haec notavit: « Hoc vel ad Archilochum refertur multa obscoena dicentem, vel ad Lucilium, qui aeque multa princeps (l. deinceps) spurca composuit [2]. » Obscoenitatis vitium in Lucilio a nemine alio reprehensum esse non miror, quoniam poëtarum commune fuit. Neque vero illicitum arbitrabantur antiqui versûs molles atque impudicos pangere;

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum: versiculos nihil necesse est;
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi ac parum pudici [3].

Videtur igitur etiam Horatius, ubi Lucilium facetum appellat, partim intellexisse eam ipsam obscoenitatem, a qua non abhorrebat ipsius Musa. Ceterum vix opus est monere, lasciviae exemplis fragmenta Lucilii scatere: singulae paginae abunde indicabunt. Quum vero vulgarem veterum morem in his secutus sit, tamen unus omnium maxime flagitia et libidines propriis et petulantibus verbis quasi ob oculos posuit. Quam licentiam Ausonius notavit:

Perversae Veneris postico vulnere fossor
Lucili vatis subulo, pulliprema [4].

---

1 *Epigr.* XI, 90. Cf. sup. p. 61.

2 *Auctar. Comm. Cruq.* p. 694 *ad Hor. Ep.* I, 19 34.

3 *Catull.* XVI, 5. Cff. *Ovid. Trist.* II, 354. *Martial.* I, 5, 8, 36.

4 *Epigr.* LXX, 7. Cff. *notae.*

Istiusmodi lascivius vocabulum videtur quoque respexisse Arnobius, ubi sancta et ferventia numina *vim vomuisse Lucillii*, et rex Servius natus esse dicitur[1].

Tandem mentio facienda est Ausonii, cujus de Lucilio testimonia valent ad ea quae Horatium reprehendentem exploravimus, confirmanda. Judicium ille suum epistolâ ad amicum Tetradium, satirae scriptorem, exposuit, qua sic scripsit:

O qui venustos uberi facundia
Sales opimas, Tetradi,
Cavesque, ne sit tristis et dulci carens
Amara concinnatio:
Qui, felle carmen atque melle temperans,
Torpere Musas non sinis;
Pariterque fucas, quaeque gustu ignava sunt,
Et quae sapore tristia:
Rudes Camoenas qui Suessae praevenis,
Aevoque cedis, non stilo[2].

Intelligitur hinc, de *inconditis* et *salebrosis* Lucilii carminibus idem Ausonio quod Horatio visum esse; praeterea vero scitam illam *ridiculi* et *iracundi* temperationem, quam Horatius requisiverat in Lucilio, in antiquis comicis Graecis admiratus fuerat, manifeste desideravit.

Initium duximus a verborum transjectione, in quo

---

1 *Adv. Gent.* V, 18 p. 486. *Turneb Advers.* XI, 22 monet, Lucilium in satiris ita appellavisse foedum humorem, qui libidine profunditur. Cf. *Popma ad Varr.* Ed. Bip. II p. 45 De ipsa re egit *Dion. al. Antt. Rom.* IV, 1.

2 *Epist.* XV. Cf. sup. p. 34, 97, 106.

vitio assiduus fertur fuisse Lucilius. Certe conveniebat illud festinanter nec sàtis meditate carmina dictanti. Neque tamen eo solo laboravit, sed in alia et graviora, ingenii vi et impetu abreptus, incautius incidit. Huc pertinet primum *tmesis*, ut animadvertit Ausonius:

Invenies praesto subjuncta petorita mulis.
Villa Lucani - mox potieris - aco.
Rescisso disces componere nomine versum,
Lucilì vatis sic imitator eris [1].

Pariter Eugenius II:

Pro - tibi ut et nostro veniat ex carmine - fectus:
Instar Lucilì cogor disrumpere versus [2].

Et Consentius: « *Conque tubernalem*, quo Lucius (Lucilius) in metro crebro utitur [3]. » Etiam Interpres ad illud Horatii:

— *circum*
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem:

« una pars orationis est, divisa in duos versus, Lucilii more antiquo [4]. » Ac praeter novum Consentii exemplum haec jam exstabant in Lucilii fragmentis: *rostrique repandum*, *deque petigo*, *data deque dicata* [5].

---

1 *Epist.* V, 33 36.

2 *Carm.* XXIII, 9. Cf. *Fabr. Bibl. Lat.* III, 258. *Müller* (sup. p. 80, 3) p. 428.

3 *De barbar. et metapl.* p. 12 ibique *Buttmann.*

4 *Auctar. Comm. Cruq.* p. 694 b. *ad Hor. Ep.* II, 2, 94.

5 V, 18. XX, 6. XXX, 72. Cf. VI, 8 et *Dousa ad Luc.* p 120. *Suring. Scholl vett.* III, 158.

Alter licentiae modus est *subtractio literae s*, quoties ultima esset aliaque consonante susciperetur. Quam literam, ut a Quintiliano accipimus [1], ne scribendam quidem in verborum fine putarunt Servius et Messala; quorum ille primum videtur induxisse, ut auferretur. C. Marius Maximinus Victorinus: «Videtur plurimis esse quintus communium syllabarum modus, qui apud Lucilium et veteres multos est frequentatus, ut correpta vocalis desinat in s et excipiatur ab alia consonante vel vocali loco consonantis posita, ut est illud (Lucret. IV)

Quare etiam atque etiam dico est communi' voluptas.

Et item (Lucil. fr. inc. 111):

— *efflantque elatis naribu' lucem.*

Hae syllabae pro brevibus apud veteres, pro longis vero apud omnes ponuntur [2].» Idem: «Liquentes literae sunt quatuor l, m, n, r. Liquentes vero ideo dicuntur, quod fluant et quasi intereant, dum consequuntur aliquam brevem syllabam cum quavis alia consonante. Sunt autem duplicis potentiae. Nam longam syllabam positione facere possunt, si ita poëta voluerit, et brevem non producunt. Quod dico hujusmodi est exemplum, ut hic Lucretii versus —. Similiter Lucilius ait: *Tum lateralis dolor, certissimus nuncius mortis* pro *Tum lateral' dolor, certissimu' nunciu' mortis.* Sic habetur quasi subtractis s

---

1 Sup. p. 83. Cf. *Cic. Orat.* 48.

2 *Art. Gramm.* I *de syll.* *Luc. fr. inc.* 111. De script. hujus et proximi scripti cf. *Osann Beytr. z. Gr. u. Röm. Lit.* II, 373.

literis; quia licentius antiqui et ipsa quasi pro liquenti utebantur, inerudita adhuc novitate, quod posteriores poëtae non ferunt[1].» Diomedes: « Communium syllabarum modi sunt septem. — Quartus est, cum correptam vocalem duae consonantes sequuntur, quarum prior est s litera, quae syllabae ratione communis, velut sibilus posita, vim consonantis amittit. Interdum enim liquidarum mutat legem. Siquidem illae subjunctae mutis utramque potestatem possident, haec vero plurimum sibi defendit. Non enim solum subjungitur, verum etiam contraria praeposita loco liquidae fungitur, ut est — apud Lucillium: *Infantibu' parvis*[2].»

Tertius licentiae modus est *literae detractio.* Varro: « In pluribus verbeis a ante e alii ponunt, alii non: alii Plauti *Faeneratricem*, alii *Feneratricem*; ac rustici Pappum *Mesium*, non *Maesium.* A quo Lucilius scribit: *Cecilius pretor ne rusticus fiat*[3].» Apud Diomedem secunda est detractionis species. Ita ille: « ut si quis detracta a litera *praetor* dicat, ut Lucilius: *Pretor ne rusticu' fiat*, cum debeat ae pronunciari *praetor*, sed structurae gratiâ syllaba longa corripitur[4].» Idem animadvertit in Lucilio Consentius: « Poëtae faciunt metaplasmos, cum ipsi jam scripturam relinquunt corruptam, ut est *Relliquias Danaum* — addidit enim unam literam per metaplas-

---

1 *De rat. metrorum* (*Lindem. Corp. Gramm.* I, 293).

2 *Lind. Op. l.* II p. 424.

3 *De L. L.* VII, 96 ibique *Müller.*

4 *Lind. Op. l.* II p. 447. *Lucil. fr. inc.* 97.

mum l. Item contra, sicut Lucilius: *Ore corupto;* dempsit enim unam literam per metaplasmum r [1]. » Similiter *syllabae detractione* usum esse docet Marius Victorinus: « Pari ratione in versu et apocope praecepta est, i. e. subtractio syllabae syllabarumve, cujuslibet orationis metro cogente facta, quae, sive in verbo sive in nomine acciderit, pro integra parte orationis accipietur, ut *Endo suam do* i. e. in suam domum. Similiter: *Proras detundete et despoliate guberna* i. e. gubernacula [2]. »

Haec sunt veterum scriptorum judicia de poëtica Lucilii facultate. Singula singulorum exquirere et investigare maluimus, ne omnia permiscerentur. Simul aetatis habuimus rationem, ut quid admirati quidve persecuti essent singuli, deinceps cognosceremus. Quare, his expositis, operae pretium erit videre, quam vim et auctoritatem habuerit Lucilii poësis, quae studia, quam admirationem excitaverit apud posteros.

---

1 *De barbar. et metapl.* p. 30.

2 *Art. Gramm.* I *de versu. Luc. Fr.* XX, 10.

LUCILIANAE POESEOS EXISTIMATIO APUD POSTEROS.

Ordiamur ab aequali tempore. Numquid superest vestigii, unde efficias, qua mente *aequales* poëtae satiras acceperint? Est sane in fragmentis versus, qui eas maximopere placuisse illis docere videatur. Dicitur enim:

Et sola ex multis nunc nostra poëmata ferri,
Et sua perciperet retro rellicta jacere[1].

Tametsi vero probabile sit, de suis id Lucilium ipsum scriptis memorare, tamen fatendum, cuidam ex aequalibus poëtis vel ex superioribus eam proprii ipsorum operis laudationem tribui a Lucilio potuisse. Sed nihil obest, quominus ipsum ita de se praedicasse existimemus; quin confirmamur quodammodo hac opinione, animadvertentes, ex trigesimo libro versus eos superesse. Qui liber quum extremus totius operis habeatur, de ceteris jam editis judicari satis poterat, num populo placerent et multorum in manibus essent. Praeterea habemus *Velleji Paterculi* testimonium, qui clara pristini aevi ingenia recolens, *celebre* Lucilii nomen fuis-

1 *Lucil. Fr.* XXX, 29, 31. Versus jungendos esse, recte animadversum est. Cff. *notae ad Nonium* p. 173.

se memorat [1]. Item *Gellii:* « neque magno intervallo postea Ennius — *clariorque* tunc — Lucilius fuit [2]. » Sed proximo tempore novimus ea leviora visa esse *Ciceroni*, contra magnopere probata *Varroni*, qui gracilitatis exemplum Lucilium praedicavit. Idem vero nos docuit, vel sua aetate vel paulo ante fuisse, qui ejus poëseos genus aemularetur, T. Albucium, hominem ante 717 (37)
apprime doctum. Hujus esse dicit Luciliano charactere libellos [3]. *Libellos* non temere *satiras* interpretabimur, praesertim cum Lucilii facta sit mentio. *Characterem* vero Lucilianum cavendum ne cum multis existimemus stili acerbitatem. Nam etiamsi hanc satirae Lucilianae propriam atque insignem fuisse dotem fatendum sit, tamen apud Varronem haud dubie de forma accipiendum est, ut Albucium *gracilem* scriptorem appellaverit, Lucilii haud dissimilem. Neque post Varronem deferbuit poëtae admiratio, sed mire aucta est. Testis est *Horatius*, Augusteo aevo maxime inclaruisse Lucilii nomen et incredibile ejus studium exstitisse apud aequales. Quod non solum inde intelligitur, quod scribat non audere se coronam capiti ejus *multa cum laude haerentem* detrahere, verum etiam ex invidia, quam inde suscepit, quod obtrectasse summi poëtae laudibus, ut suas tolleret, videretur. Sed omnium manifestissime, quo populari honore et laude tunc ferrentur Lucilii carmina, quam venerabile nomen ejus, quam sanctum et inviolabile haberetur, efficitur ex iis versibus qui, etiamsi Horatia-

---

1 II, 9. Cf. sup. p. 18, 2.

2 XVII, 21 fin.

3 *De R. R.* III, 2, 17.

ni non habendi essent, tamen hominum studia exprimunt minimeque negligendi sunt. Itaque hîc adscribere eos partim juvat. Postquam de Catone, Lucilii defensore, sermo fuit, hunc longe subtiliorem appellat auctor *illo*

Qui multum puer et loris et funibus udis
Exhortatus, ut esset, opem qui ferre poëtis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. —

Apparet, ludi magistris in primis curae fuisse ut excitarent antiquorum poëtarum, in his Lucilii, studia eoque vehementius in discipulis alerent, quo magis defervescere illorum admiratio apud nonnullos coepisset. Verum quaeri potest, quis ille putandus sit grammaticorum equitum doctissimus, et quo sensu dicatur. In mentem mihi venit suspicari, ipsum Horatium intelligi, qui pueritiae rudimenta tam acerba passus erat, ut *plagosum* Orbilium matura aetate oblivisci non posset, sed nominatim memoraret. Eundem Orbilium ferulâ scuticâque cecidisse severae disciplinae alumnos accipimus [1], ut facile videatur illo magistro usus, qui loris et funibus udis verberatus dicitur. Narrat autem Horatius, sibi praeceptorem suum Livii Andronici carmina dictasse [2]; unde colligitur eum antiquissimorum poëtarum praelectionem antetulisse iis, quae recentioris aetatis formaeque paulo minus horridae essent Videtur igitur Orbilius spem concepisse ac sparsisse fore, ut Horatius, mature in legendis antiquis

---

1 *Suet. de Ill. Gr.* 9.

2 *Epp.* II, 1, 70.

poëtis versatus eorumque admiratione, se duce et stimulatore, imbutus, aliquando talis fieret accuratae doctrinae grammaticus, qui gliscenti pulcri venustique fastidio resisteret et veterum auctoritatem vindicaret. In qua sententia non video quid a verisimilitudine abhorreat, et *grammaticos equites* eos interpretor, qui causam antiquorum vatum pugnaciter tuerentur et inveherentur in secus sentientes. Praeterea causa est, cur tecte Orbilii disciplinam significet, quem virum postea nominare et describere haud veritus est. Etenim quo tempore satiram libri primi decimam scribebat, cui illi versiculi adhaerent, senex Orbilius vivebat Romae, quem videtur vivum commemorare cum dedecore noluisse [1]. Fecit epistolarum libro secundo, qui liber haud dubie scriptus est post Orbilii decessum, qui in annum 740 (14) circiter incidit [2]. Fefellit autem Orbilium opinio ista, quam de Horatio susceperat; quare hic laude efferre Catonem poterat, a quo plus judicii in emendando Lucilii opere exspectandum esset, quam a se exspectari potuisset, qui, si obtemperasset magistri voluntati, fatuus admirator ejus futurus fuisset. Sed eum et sanior mens et acrior elegantiae sensus et gravius studium in longe aliam sententiam deduxerat: quam amplexus, aegre ferebat caecam Lucilii admirationem, qua cives suos laborantes cognoverat.

---

1 Nihil enim de Orbilio, quo loco ejus fieri mentio potuerat, *Sat.* I, 6, 75—84.

2 *Suet. l. l.* Annum aetatis attigit fere centesimum, et traditur Cicerone Cos. 691 (63) quinquagenarius Romam venisse, ubi persenex in summa paupertate degebat.

Emisi opinionem, quae mihi probabilis visa est. Eam nunc quidem mitto, mox ad eandem recursurus. Verum ut Horatii de Lucilio judicium accurate persecuti sumus, ita restat ut, quod *secutum* se eum esse fassus
714 (40/30) 724 est Horatius[1], attingamus. Qua in re indicanda rejicimur ad scholiastarum testimonia, quippe in Lucilii fragmentis vix, unde ipsi hanc contentionem aemulationemque investigemus, invenientes. Itaque quod hi prodiderunt, ubi commodior erit locus, exponemus[2]. Nunc illud tantum attendendum ducimus, ut ex Varrone
post 731 (20) Albucii, ita ex Horatio Julii Flori memoriam nobis servatam esse. Si superessent eorum commentarii, qui προσωπογραφίαν Horatianam reliquerunt[3], plura de hoc scriptore indicia paterent. Nunc qui eos adhibuerunt commentarios, justo brevius excerpserunt. Tradunt, Julium Florum, scribam, satirarum fuisse auctorem, ejusque esse electas ex Ennio, Lucilio, Varrone satiras. Unus autem fuit ex comitibus domesticis Claudii Tiberii Neronis, qui ipse doctus fuit et doctos comites habuit[4].

---

1 Sup. p. 108.

2 Hic tamen animadvertendum est, Horatium *Wielando* (*Sat. Hor.* II p. 17) visum esse aliquando Lucilii morem ipsa verborum structura et orationis negligentia imitatum esse. *Horaz scheint in Sat. II*, 1, 35—39 *auf eine launenhafte Art Lucils eigene schwatzhafte Manier und Nachlässigkeit im Styl nachgemacht zu haben.* Nec mirum. Nam exemplum velut est Lucilianae garrulitatis. Veruntamen, consulto tale quid fecisse Horatium, recte videtur negasse *Düntzer Op. l.* p. 452.

3 Cf *Comm. Cruq.* p. 332b. *Suring. Scholl. vett.* III, 92.

4 *Eod.* p. 525 a. *Auctar.* p. 692 b. *Casaub. de Sat. počsi* p. 296 legendum censuit sublectae pro electae, al-

Horatio in Lucilii sequendi studio jungendus videtur aequalis et amicus integerrimus Virgilius, quem pariter constat nonnulla mutuatum esse ab antiquiore satirarum scriptore. Veruntamen quum ea, quae expresserit ex ejus carminibus, pauca sint et verba spectent, non operae duco ea omnia exhibere [1]. Etiam Petronium praetermitto, quem schedio aemulatum esse Lucilium supra vidimus [2]. Magis nos advertit Persius, ad cujus ingenium excolendum eximie valuisse Lucilii carmina, ejus vitae scriptor affirmat: « Mox ut a schola et magistris diverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer satyras componere studuit; cujus libri principium imitatus est, sibi primo mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentiorum poëtarum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit [3]. » Memorabilis est singularis haec aetate, qua floruit Persius, Luciliani exempli vis et momentum. Ut hunc aemulatio illa summopere decebat, ita intelligitur, quan-

N. 681 (70) + 735 (19)

circ. $\frac{42}{67}$

N. 34 + 62

---

que eum potius scripsisse ἐρωτικὰ conjecit ex verbis *Hor. Epp.* I, 3, 24): — *seu condis amabile carmen*
Prima feres ederae victricis praemia.
Sed videtur Florus *juvenis* affuisse expeditioni Tiberii, 734 (20). Itaque satiras *maturiore aetate* scripsisse dicendus erit, postquam Horatius ad eum scripserat. Cf. *Weich. Poëtt. Latt. Fr.* p. 366 sqq. Domesticos appellatos esse milites et equites, qui in Imperatoris comitatu erant, monet *Turn. Adv* XV, 16. Ita apud *Amm. Marc.* XIV, 10, 11 domesticorum comites occurrunt.

1 Cf. *Serv. ad Virg. Georg.* II, 98. *Aen.* IX, 227. X, 104.

2 p

3 *Vita Suetonio addita.*

tum iracundiae et fellis, quantum libertatis animique constantiae Lucilii poëmata spiraverint: quibus virtutibus inflammatus ille non satis habuit semel vestigia antiquioris poëtae sequi, verum iterum ingenium periclitatus ex Lucilii libro quarto transtulisse primam tertii libri satiram traditur [1]. Pari loco et studio Ju-
N. $\frac{39}{42}$ † 121 venalis Lucilium habuit, ut intelligitur ex his:

Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
Si vacat et placidi rationem admittitis, edam [2].

Idem, quanta vis esset Lucilianae satirae, et penitus sensit et disertissime expressit [3]. Quin satiris suis retulit peculiarem illum animi affectum, quo Lucilius excitatus satiras fuderat. Dicit enim poëta: *Si natura negat, facit indignatio versum* [4]. Quam quidem ob rem similior illi fuit quam Horatius, qui joculari sermone non minus quam acri usus erat.

Quintilianus, quem, ut attigimus [5], Lucilio insignem in satira laudem tribuisse constat, ex eo hominum genere fuit, qui neque immodicis laudibus antiquum poëtam efferrent, neque nimis verae ejus gloriae ac meritis obtrectarent. Patuit nobis, quantam sibi Horatius, libere sententiam ferendo, invidiam hominum conflarit, quamque pertinaces ejus aequales in defendendo efferendoque Lucilio fuerint. Ex eo tempore deferbuerant sensim ingenia nec tam coe-

---

1 *Glossar. ad Persii Sat.* III, 1.
2 Sup. p. 34.
3 Eod. p. 89.
4 *Sat.* I, 79.
5 Sup. p. 111.

eo amore atque admiratione amplius Quintiliani aevo movebantur plurimi. Licet vero melior universe mens invaluisset rectiusque de vetustate existimari coepisset, procul tamen aberat, ut frustra quaererentur, qui secus existimarent. Testatur Quintilianus, in aequalibus suis quosdam ita sibi deditos habuisse Lucilium amatores, ut eum illi non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis praeferre non dubitarent [1]. Ab his, ut par erat, dissentiebat, haud sine ratione ea, quae posterius tempus tulerat, ingenii monumenta magis admiratus, nec tamen ita recentiora amplexus, quin aequi judicis instar antiqua veneraretur et debita laude prosequeretur. Neque vero proximo a Quintiliano tempore defuerunt, qui illum in satira principatum in Lucilium deferrent. Sic enim *auctor dialogi de oratoribus* scribit: «Vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legunt [2].» Unde effici posse videtur, suis Lucilium laudatoribus, quamvis in satirico genere principem et eximium, tamen non talem visum fuisse, qui ceteros omnes, in quovis poëseos genere versatos, laudis excellentiâ obscurasset. Quod item confirmantem habemus subaequalem *Martialem*, ut apparet ex epigrammate:

---

1 *Inst. Orat.* X, 1.

2 C. 23. Videtur dialogi hujus Plinius Caecilius Secundus, non Tacitus auctor esse. Quod praeclare recens probatum ivit *A. Wittich über den Verf. des Dial. de Oratt.* in *Seebode's Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed.* 1839 *Suppl.* V p. 259—292. Ceterum de Lucilii auctoritate cf. *Manso Nachtr. z. Sulzer* p. 440 *sqq.*

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per salebras altaque saxa cadunt.
Et tibi Maeonio res carmine major habetur,
Luceili columella heic situ' Metrophane'st.
Attonitusque legis terrai frugiferaï,
Accius et quidquid Pacuviusque vomunt [1].

circ. 80 Idem alio, quo Tuccam Lucilii imitatorem petit:

Audemus satiras — Lucilius esse laboras;
Ludo leves elegos — tu quoque ludis idem [2].

In priore, ut apud Plinium, Lucilius et Lucretius componuntur, quorum utrique palma ab illis antiquitatis praeconibus concedi solebat. Sunt vero, qui nobis fidem facere velint, ex illorum quoque numero fuisse Imperatorem Hadrianum, qui Lucilium omnibus aliis poëtis praeponere soleret [3]. Sed errasse eos dudum Baylius docuit [4].

Itaque exolevisse magis magisque videtur ingens illa Lucilii admiratio Imperatorum tempore. Veruntamen non plane latuerunt, qui studio ejus et amore ferrentur et ad carmina componenda excitarentur ejus
N. 309 † 392 exemplo. Ex quibus Ausonius Burdigalensis est memorandus, qui idyllia scripsit. Est in his poëmatiis,

---

1 *Epigr.* XI, 90. Cf. sup. p. 61, 114.

2 *Eod.* XII, 95.

3 *Crinit. de poëtt. Latt.* I, 9 (addens, iis poëtis praepositum fuisse, *qui satyram scripsissent*), *Gyrald. de poëtt. Gr. et Lat.* p. 192. *Ciacon. Biblioth.* v. Cajus Lucilius.

4 *Dict. v.* Lucile p. 103. In *Spartiani vit. Hadr.* 16 legitur: *Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium — praetulit.*

quod Villula inscribitur, cuique praefatio talis: « Quum de palatio post multos annos honoratissimus, quippe jam consul, redisset ad patriam (Hispaniam), villulam, quam pater reliquerat, introgressus, his versibus lusit Lucilliano stilo[1]. » Pariter in epistola ad Paulum, rhetorem Bigerritanum, hi versus sunt:

Aequanimus si qua fueris, ἐς πάντα μάλ' εὔδειν
Malueris, λήθη δὲ πόνου ἔσετ' ἠδὲ πενίης[2].

Ut universa haec epistola Graecorum et Latinorum verborum commixtione Lucilianum morem refert, ita in iis, quos inde laudavimus, versibus παρισώσει usum esse Lucilii imitatione, animadvertit Scaliger. Ceterum apparet, ei non unice probatum fuisse, quem aemulari studeret. Nam ad Tetradium, satirae scriptorem, scribens hunc Lucilio praeponit, quod carminis fel melle temperasset[3]. Praeter Ausonium Decius quidam satirarum scriptor huc refertur a Casaubono[4]. Quem Decium cognoscimus ex Itinerario Claudii Rutilii Numatiani Etruriae praefectum fuisse, talemque provinciâ eâ administrandâ se probavisse, qualem maxime fide et probitate conspicuum virum Lachami fama flagitaret. De quo quoniam multis disputatum est a Wernsdorffo, sententiam ejus paucis declaremus. Putavit ejus nomen totum esse Caecinam Decium Acinatium Albinum, qui, postquam Tusciae praefectus fuerat, Urbis praefecturam susce-

---

1 *Idyll.* III.

2 *Ep.* XIII, 35. Cf. *Scal. Lectt. Auson.* II, 4 p. 136.

3 *Ep.* XV. Cf. sup. p. 115.

4 *De Satyr. poësi* p. 302.

pit sub Theodosio II et Honorio. Eundem esse statuit, qui cum Postumiano loquens inducitur apud Macrobium et ad quem sunt Q. Aurelii Symmachi epistolae [1]. Hanc quidem opinionem temporum ratio fert. Quod vero Symmachus Tusciae praefecturâ celebrem fuisse Decium scribit, persuadet, eum hoc munere perquam diu functum esse [2]. Sed ipsum operae pretium est Rutilium canentem audire:

Famam Lachanii veneratur numinis instar
Inter Tyrrhigenas [3] *Lydia tota suos.*
Grata bonis priscos retinet provincia mores
Dignaque rectores semper habere bonos.
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corythi populos [4] *arva beata regit.*
Nec mirum, magni si redditus indole nati
Felix tam simili posteritate pater.
Hujus vulnificis satyrâ ludente Camoenis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit;
Restituit veterem censoria lima pudorem,
Dumque malos carpit, praecipit esse bonos [5].

In longe aliam hi versus nos sententiam perducunt, quam visum est Casaubono et Wernsdorffo. Ille perperam inde confecit, nobile Lucilii pignus Decium propterea dici,

---

1 *Wernsdorff Poëtt. Latt. Min.* III p. XXIII. IV, 2 p. 825. V, 1, p. 182.

2 *Epp.* VII, 36.

3 *Barth.* l. Turrigenas i. e. Etruscos.

4 i. e. *Etruscos.*

5 *Itiner. v.* 595 *sqq.* De Claudio Rutilio cff. *Bähr Gesch. d. Röm. Lit.* p. 131. *Grässe Literärgesch.* I, p. 786.

quod, prouti ille, stilum acuisse in malos et facinorosos homines statuatur. Itaque erravit quoque reliqua, quae exstant apud Rutilium, Decio accommodans. Quae nullo modo mens poëtae videtur fuisse. Wernsdorff vero mire fluctuavit. Modo enim Lucillum Decii patrem naturalem, modo Q. Fabium Lucullum (i. e. Lucillum) fuisse suspicatur, cujus epigrammata σκωπτικὰ in Anthologia Graeca leguntur. Potius Barthio assentior, vere jam dudum suspicato, Lucilium veterem Satirographum a Rutilio respici. Neque enim, quod *Lucillus* non *Lucilius* dicitur, difficultatem movet: exstat passim etiam ita scriptum nomen *Lucillius* [1]. Ut ex totius loci ratione sponte patet, laudat et celebrat virum honestissime, humanissime continentissimeque munere fungentem. Nec sane mirum harum virtutum recordatione Lucilii ei in mentem venisse, cujus velut nobile pignus Decius esset, cujus tamquam eximia proles indolem referret ac redderet. Itaque hinc primum illud assequimur, quod negleximus opportuno loco referre [2], praestanti revera indole Lucilium fuisse, tum Rutilio Lucilium dignum visum esse, qui anteponeretur Turno et Juvenali, in eodem poëseos genere recentius versatis. Deinde patet, Persii verbis *secuit Lucilius urbem* comprobari *vulnificis Camoenis*, quibus satira Lucilii luserat. Ut vero omnis, quin hic poëtae excursus Lucilium spectet, dubitatio tollatur, faciunt postremi duo versus; quorum posterior quidem concinit Luciliano:

---

1 Cf. sup. p. 115, 118.

2 Sup. p. 69 sqq.

Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum[1].

Tandem adjungi superioribus potest Eugenius II, Toletanus Episcopus, qui insulse Lucilianam tmesin aemulatus est versibus, quorum duo posteriores supra retulimus [2].

Persecuti vestigia sumus, unde, qua existimatione Lucilii poëmata vario tempore fuerint, aliquatenus perspicitur. Non igitur abs re videtur, hìc quaerere, unde ingens illa et incredibilis exorta sit admiratio, quae ad Horatii aetatem summa et fere universa, deinde pauciorum fuit, nec plane exolevit quamdiu superfuit Lucilii poësis. Fusius haec explicare Mansonis in primis industria vetat [3]. Is etsi in iis, quae de Lucilio exposuit, nonnunquam a vero aberravit, tamen propter eximias diligentiae perspicuitatis elegantiaeque laudes praeclare officio functus est. Memorat ille duplicem ejus rei causam. Alteram *singularem antiquitatis amorem et venerationem.* Quae quanta esse in gentibus soleat, ubi primis poëseos initiis rudibusque primorum poëtarum periculis succedat cultior aetas, monumenta pariens linguâ, stilo variisque venustatis elegantiaeque virtutibus illustria, satis omnis historia

---

1 Sup. p. 92.

2 Cff. de eo *Bähr Op. l. Suppl.* I p. 81. *Grässe Op. l.* II, 1, 1, 378.

3 Cff. *Nachtr. z. Sulzer* p. 443 *sqq. Wieland Hor. Sat.* I, 140.

docet, scriptores testantur, usus ipse confirmat. Idemque obtinere debuit Horatii aetate. Nam qui cum aetate praecesserant poëtae, Plautus, Pacuvius, Terentius, Accius, in primis vero recentissimi Lucilius et Lucretius, Romanis acceptissimi fuerunt. Hos a pueris admirati, hos juvenes ac viri, quippe quos solos cognoverant, amplexi erant, in his legendis meditandisque consenescebant Horatii aequales. Valebat patrum auctoritas diu apud liberos, nec hi, quamvis pulcriora et emendatiora nacti, respuere quae illis placuerant, audebant. Eoque fervere magis ea pristini aevi veneratio debuit, quo illos gravius hominum, meliora anquirentium, gliscens in dies aemulatio et studium offendebat, quoque insignius erat inter vetera illa et nova discrimen. Cessit vero paulatim aetati judicii istius iniquitas: rarius factum est genus eorum, qui in Lucilio Lucretioque verae poëseos imaginem, linguae Latinae expressum exemplum intuebantur. Sic exstinguebatur illud, quod viguerat olim, vetustatis studium.

Alteram causam sibi cum Wielando invenire visus est Manso in *Ciceroniana Lucilii commendatione.* Extulit ille et celebravit, ad Paetum scribens, vernaculam illam festivitatem, saporem illum vernaculum, veteres illos Romanos sales, quos corrupissent et absumsissent braccatae gentes [1]. Harum virtutum desiderium, quod Ciceroni grave et acerbum fuerat, duravisse et radices egisse apud posteros verisimile est. Quibus alia accessisse haud praetermittenda recte censue-

---

1 Sup. p. 85, 91.

runt. Ipsa enim tempora, ipsa reipublicae stantis et florentis conditio, quam velut adumbratam et depictam Lucilii opera referebant, libertatis praeterea adhuc fere intacta majestas, haec omnia recordabantur lubentissime, quibus satisfacere earum rerum jactura non poterat [1]. Tandem vero credibile est, admiratione ea motos posterorum animos fuisse, quod senis vitam carminibus, tanquam votivâ tabellâ, descriptam patere intelligerent [2]. Lubentes igitur *fidos* illos Lucilii *sodales*, quibus omnes pariter vitae vicissitudines et sollicitudines, accuratamque aetatis, qua vixerat, imaginem crediderat, explorabant.

---

1 Ipsa verba Mansonis afferam: *Es war ein gewisser Geschmack nach seinem Jahrhundert, nach jenen glücklichen Zeiten, deren Andenken den Römern um desto werther wurde, je weiter sie sich von ihnen entfernten, es war jene treuherzige Einfalt, die wenn sie sich längst aus den Sitten verloren hat, uns immer noch, und ich möchte sagen dann am meisten, in den Schriften der Vorzeit anzieht, mit einem Worte, der Nachhall einer Laute aus fernen Tagen, die wenn sie auch nicht rein und lieblich klang, doch nachdrücklich und kräftig tönte, es war eine Sprache, die einen, durch griechischen Muster gebildeten, Geschmack unmöglich befriedigen, wohl aber jeden, der das körnigte im Ausdrucke liebt, ergötzen konnte.*

2 Sup. p. 66.

STUDIUM ET OPERA IN LUCILIANA POËSI POSITA.

Magni profecto esset, si, Lucilianae poëseos existimatione indicata, porro jam investigare liceret, qualis quantaque ejus vis fuerit non tantum quo tempore prodiit poëta, sed etiam omni postero tempore, quo ingenti ejus studio ingenia Romanorum incensa esse constat. Quin multum effecerit, quin multorum animos pertentaverit, commoverit, suorum conscios vitiorum reddiderit ac pudore suffusos virtutis amore inflammaverit, quin eorundem ingenia praejudicatarum opinionum commentis purgaverit et ad recuperandam mentis judiciique sanitatem facem praetulerit, vix dubitari posse videtur. In primis vero moribus publicis profuisse Lucilii satiras opinor. Cujus opinionis si quis argumenta requirit, primum in mentem revocari possit Appii majoris salse dictum de pecore publicos agros depascente: *Non est Lucilii pecus illud: erratis: ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur* [1].

---

1 Sup. p. 48 sqq.

Unde illud intelligitur non sine veri specie, fructu non destitutam fuisse Lucilii in emendandis populi moribus studiisque continendis ac reprimendis positam diligentiam. Nec sane minus eodem valent parumve persuadent Juvenalis verba, earundem satirarum vim admirabilem fuisse et perquam salutarem: iras enim et lacrimas, pudore excitatas, movisse auditoribus quantumvis duris et frigidis dicuntur, ita ut eorum pectora tacitâ culpâ sudarent [1]. Quos salutares et efficaces animi morsus mirumne ejus poëtae ingenio effici potuisse, cujus optimae erga bonos voluntati singularique benivolentiae par conjuncta esset cum vitii indagandi sagacitas tum facultas et audacia persequendi? Quapropter non dubitamus fidem habere Claudio Rutilio de Lucilio canenti:

Restituit veterem censoria lima pudorem [2].

His universe monitis, videamus quid memoriae proditum sit de opera a viris literatis in Lucilii poësi collocata. Quae disquisitio eo plus habere momenti videtur, quo graviorem poëtae apud posteros auctoritatem frequentioremque carminum ejus usum constat fuisse. Lucilii satiras, postquam exierant ex auctoris manibus, non statim Romanis innotuisse inde efficias, quod in iis scriptoribus memoratur, quorum parum divulgata carmina diligentius retractarentur a nonnullis, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota fierent. Hanc tamen hominum negligentiam et incuriam verius fortasse Naevii Enniique scripta passa

1 Sup. p. 89.
2 Sup. p. 130.

sunt. Lucilii vero si minus subito, tamen non ita multo post, quam edita fuere, legendi studiosos habuisse, haud injuriâ arbitramur. Nam, si verum vidimus, vivo poëtae inauditam gloriam ingenii quod condidit monumentum conciliavit. Utcunque est, postquam excesserat e vita Lucilius aut ex urbe in exsilium profectus erat, duumvirorum studiis poëmatum ejus fama ac celebritas increvit. Fuerunt hi Laelius Archelaus et Vectius Philocomus, Lucilii sine dubio aequales, aliunde vero nobis non noti. Nam certum est, illum, qui Varroni et Plinio memoratur, Archelaum, quique scripsisse de animalibus fertur [1], alium fuisse. Paulo quidem majore jure aliquis suspicetur, Q. Laelium, qui ex principibus Grammaticis fuisse et librum suum inscripsisse fertur *de vitiis virtutibusque poëmatorum* [2], eum esse, quem Archelaum cognominatum comperimus. Tantum vero constat, libertinos fuisse; fortasse Archelaus Laelii sapientis, Philocomus (alii Philochorus) Vectii cujusdam libertus fuit. Quod non solum inde efficitur, quod praeter libertinae conditionis homines nulli initio huic studio operam dederunt, verum etiam Philocomi servile nomen videtur indicare. Ita memorantur Philo, Phileros, Philinus, Philogenes, Philogonus, Philotimus, Philoxenus. Num C. Octavii Lampadionis et Q. Vargonteji exemplo in diligentius retractandis Lucilii carminibus versati sint, deinceps magis opportune quaeremus. Sed constat interpretandi munere functos esse, atque id

---

1 *De R. R.* II, 3, 5. III, 11, 4. 12, 4. 16, 4.

2 *Sosip. Char. Inst. Gr.* I, 114.

domi suae privatim instituisse. Unde facile perspicitur, alium interpretum in Ennianis, alium in Lucilianis divulgandis et celebrandis morem obtinuisse, quum illa *publice* in magna frequentia pronunciarentur, haec coram paucis familiaribus *privata* commentatione exponerentur. Neque enim dubium, quin, quod ante conjecturâ emendavimus [1], confirmetur testimonio scriptoris: « quas (Lucilii satyras) legisse se apud Archelaum Pompejus Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant. » Qui prius laudatur, Lenaeus, Pompeji Magni libertus et omnium expeditionum comes fuit [2]. Mirum nobis non accidit, Lucilii eum legendi studiosum exstitisse, quem patroni sui magnum avunculum fuisse cognovisset. Aemulatus quoque post Pompeji mortem antiquum poëtam videtur; nam Sallustium *acerbissima satyra* fertur laceravisse, iisque usus est in eum verbis, quae Luciliana comperimus [3]. Cum eo conjungitur tanquam disciplinae socius Valerius Cato Gallus poëta ipse et grammaticus notissimus, qui peridoneus visus est praeceptor, maxime ad poëticam tendentibus. Huic summa probabilitate vindicatum video opus de *verborum differentiis*, quod alienius sane fuit a Catonis prisci studiis et persona, propterea autem hîc memorandum, quod Lucilii exemplo motus illud videtur scripsisse [4]. Procul dubio idem hic Cato est, quem

---

1 Sup. p. 47.

2 *De Ill. Gr.* 15.

3 Lurconem, nebulonem popinonemque appellavit. Cff. *Lucil. Fr.* I, 20, IV, 9. XIV, 3, XX, 7.

4 *De Ill. Gr.* 4. 11. Cff. *Lersch* in *Zeitschr. f. Alterth.* 1839 p. 342. *Barth Adv.* XXXIX, 6 p. 1764.

in iis, qui spurii censentur, Horatii versibus ita memoratum videmus:

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
Defensore tuo, pervincam, qui male factos
Emendare parat versus. Hoc lenius ille,
Quo melior vir adest, longe subtilior illo —

Quae sequuntur jam retulimus et illustrare conati sumus. Longum est, nec quidquam attinet recensere varias eruditorum opiniones de versibus illis. Non autem haesitamus iis assentiri, qui eos ab Horatii satira plane alienos existimant, ac suspicentur ab eo prius compositos deinde repudiatos et in commentarios reclusos esse. Inventos post obitum poëtae delere noluerunt, sed, ubi id commodissime fieri posse videbatur, praemiserunt. Referunt autem Horatii stilum, neque ejus Musâ indigni sunt. Videntur tamen potius inchoatae satirae initium fuisse, quam epigramma [1]. Causa, cur eos rejecerit poëta, cum satis ex iis, quae supra disputavimus de *grammaticorum equitum doctissimo* [2], confici possit, tamen me judice etiam aliunde petenda est. Suspicor enim, quo tempore Catonem Horatius paratum indicaret ad Lucilii male factos versus emendandos, aut subito de mutato emendatoris consilio aut de ejus repentina morte certiorem factum esse aliudque satirae exordium mente agitasse. Quin verba illa *male factos versus* paulo immutata servavit in satira, quae inchoatae

---

1 *Düntzer Op. l.* p. 249. Cff. *Jacobs Verm. Schr.* V 235 *sqq. Lersch l. l.*

2 Sup. p. 123.

locum obtinuit [1]. Illa vero *quo melior vir adest*, quae perperam ad Catonem referri miror, Lucilium spectant, ut ex prima secundi libri satira cognoscimus, ubi legitur *nostrum melioris utroque* [2]. Ceterum, quae hic attigit, epistolâ deinde Horatius latius persecutus est, ubi eadem judicii sanitate de universa poëseos antiquae Romanae ratione existimantem invenias. Ac ne tum quidem, quamvis universam seniorum turbam menti propositam haberet, Lucilii immemorem se probavit: quem illa proprie spectare censenda sunt:

Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur,
Et sapit et mecum facit et Jove judicat aequo.
— sed emendata videri
Pulchraque et exactis minime distantia,
miror [3].

Solam *verborum antiquitatem* in Lucilio non tetigerat, *duritiem* et *pigritiam*, pulcri venustique et perfecti inopiam culpasse contentus [4]. Itaque hunc Catonem, qui solus legere ac facere poëtas dictus est, videmus e numero Lucilii admiratorum fuisse. Nullo tamen modo insaniebat, sed prudens et intelligens judex ejus, quem defendere a novitiorum injuriis et

---

1 vs. 59. Sup. p. 104.

2 vs. 29. Sup. p. 69. Cff. *Jacobs l. l.* p. 235. *Düntzer l. l.* p. 249.

3 *Epp.* II, 1, 64 *sqq.*

4 Sup. p. 97 sqq.

opprobriis studebat, carmina purgare et emendare necesse arbitratus est.

Archelai et Philocomi mentione in eorum disciplinae alumnos Lenaeum et Catonem incidimus. Alius hic nobis memorandus est illorum aequalis, Curtius Nicia Cous. Familiaris is fuit Ciceroni, et Cn. Pompejo, cui dicitur haesisse. Hinc facile est ad suspicandum, ei cum Lenaeo quoque Pompeji liberto, intercessisse consuetudinem atque aemulationem. Ut enim Lenaeus apud Archelaum Lucilium legit satiramque postea scripsit, ita de Nicia hoc memoriae proditum est: « Hujus de Lucilio libros etiam satyra comprobat. » Fuere qui *Santra* pro *satira* legendum putarent. Düntzer aliam opinionem edidit: videtur ei Cicero satirâ s. epigrammate Niciae de Lucilio libros allusisse: quam satiram in Limone putat exstitisse [1]. Quod tamen quia speciosius videtur, malim existimare, satira quadam Niciam libros suos s. commentarios de Lucilio, qui jam perierant tempore scriptoris de illustribus grammaticis, respexisse.

Redeundum hîc ad Julium Florum, ad quem sunt Horatii Epistolae. Ejus electas ex Ennio, Lucilio, Varrone satiras jam laudavimus. Visus est nonnullis in satirographorum numerum referendus, quia diserte satirarum scriptor a vetusto interprete dicatur. Sed hoc eum loco alii deturbarunt. Itaque Weichert: Qui Electas ex aliis poëtis instituit et in lucem edit, veri poëta nominis neque dici neque haberi potest. Ex

---

1 *Op. l.* p. 13. *De Ill. Gr.* 14.

Ennio, Lucilio et Varrone, quos constat scripsisse satiras, praestantiora carmina elegisse, eaque fortasse, antiquitatis rigore sordibusque abstersis, et emendatiora et elegantiora edidisse statuimus [1]. Comparat eum cum existimatore et emendatore Catone, tanquam eodem munere functum. Quae quamvis ita conjici ac disputari possint, tamen nihil obstat, quominus vindicemus Julio Floro in satirarum scriptoribus locum. Nam ipse composuisse quasdam suas videtur, quibus alias ex alieno fonte haustas et ad ingenii arbitrium effictas et concinnatas adjecit.

Commentariis Lucilii lectionem jam antiquitus adjutam esse, sponte intelligitur. Legendo enim commentandoque grammatici antiquissima carmina nota fecerunt. Quod commentandi munus licet primum *linguâ* non *scripto* susceptum fuisse videatur [2], tamen Curtii Niciae libelli qui memorantur, brevi vulgatas esse illas doctrinae copias docent. Ac satis magnum commentariorum numerum fuisse, qui in illustrandis Lucilii carminibus versarentur, ex testimonio Gellii efficitur [3]. Ex illis autem, qui hanc operam poëtae studiosis praestiterunt, quin Sinnius Capito fuerit, dubitari non potest. Ad illa enim Lucilii: *nequam aurum est, auris quod vehementius ambit* haec Festus: « Hoc versu Lucili significari ait Sinnius Ca-

---

1 *Poëtt. Latt.* p. 366. *Düntzer Op. l.* p. 20. *Grässe Op. l.* I p. 788.

2 Cf. *Suringar Scholl. Latt.* I p. 59.

3 II, 24, 4. « Fannii legem Lucilius poëta significat, cum dicit: *Fannii centussis misellos.* In quo erraverunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores, quod putaverunt —. »

pito, nequam esse aurum, quod aures laedat: vel pondere inaurium, cum mollissima pars auris inciditur; vel ex auro intelligi pecuniam, cujus respectu et nimia cupiditate homines ad peccandum adduci.» Sinnium Capitonem num in eodem studio aemulatus sit Valerius Cato, etsi probabile sit, non liquet. Existimavit Lersch, studiosius eum elaborasse ea, quae Philocomum tradentem audivisset[1]. Porro apud Festum legitur: «*Gallam bibere ac rugas conducere ventri* cum ait Lucilius, praemonet parsimonia esse utendum — [2].» Neque tamen credo, hanc interpretationem Festi esse. Deberi videtur Verrio Flacco, quem diserte aut tacite descripsit. Quum vero alia vestigia Verrianae Lucilii interpretationis apud Festum non inveniantur, incertum est, an commentario illum illustraverit.

Illorum autem industriam, qui commentati sunt Lucilii poëmata, aequarunt sine dubio glossematorum scriptores. Hi non solum in obscuris veterum sententiis enucleandis haerebant, sed etiam vocabula antiqua, quae sermone interciderant minusve usitata erant, interpretabantur. Prioris generis videor mihi exemplum invenisse in Festo, cujus haec sunt: «*Servorum dies festus* vulgo existimatur Idus Aug., quod eo die Ser. Tullius, natus servus, aedem Dianae dedicaverit in Aventino —» Legimus autem apud veterem interpretem Lucilii versus:

---

1 *Zeitsch. f. Alt.* 1839 p. 342.

2 *Lucil. Fr.* XXV, 1. *Nonius* v. Acerosum.

— *servorum est festus dies hic*,

Quem plane hexametro versu non dicere possis [1].

In his glossographis fuit Opillius Aurelius. Festus: « *Querqueram febrem;* gravem et magnam. — Aurelius Opilius frigidam ait dici et cum horrore trementem. Santra eam ex Graeco deducit —. » Sequitur Plauti versus, quo *bilis querquerae* mentio fit. Eum excipiunt duo Lucilii versus, quibus *querquera febris* memoratur [2]. Non igitur Plautum, sed Lucilium Opillii interpretatio spectat. Legitur apud eundem: « *Ratitum quadrantem* Tarquitius in libro quem inscripsit de ..... et Oppius (l. Opilius) Aurelius dictum putat, quod in eo et triente ratis fuerit effigies —. » Vidit Scaliger, ex Varrone Lucilii verba Festo esse restituenda. Varro enim ita: « Vectura quadrans. Ab eo Lucilius scripsit: *quadranti' ratiti*, quia ratibus transibant [3]. » Tandem: « *Thomices* Graeco nomine appellantur — Lucilius: *Vimus vinctum thomice canabina.* Opillius Aurelius ait mollem pulvillum, quem in collo habent, restis ne laedat, *thomicem* vocari. » Opillio fortasse ii qui hic referuntur, Santra et Tarquitius addi possunt; etiam Antonius Gnipho, licet apud Festum *Antonius* . . . legatur [4]. Huc pertinent Festi illa: « *Rondes Icadionque* cum dixit Lucilius nomina piratarum posuit —. » « *Pedarium senatorem* sigui-

---

1 *Comm. Cruq. ad Hor. Sat.* I, 5, 87. *Lucil. Fragm.* VII, 5. Cf. *Düntzer Op. l.* p. 141 qui Sigillaria significari putat, quum *Koene* Liberalia existimasset.

2 Sup. p. 60.

3 *De L. L.* V, 44.

4 v. Ratitum quadrantem.

ficat Lucilius cum ait : *agipes vocem mittere coepit*, qui ita appellatur —. » « *Carissam* apud Lucilium vafram significat. » — « *Noctilucam* Lucilius cum dixit l. II, obscaenum significat —. » « *Verticulas* cum dixit Lucilius, articulos intelligi voluit. » Accedunt quae ex glossario Labbaei Dousa exhibuit: *Aquilum*, *μέλαν*, *ὡς Λουκίλλιος*. — *Gulliocae*, Gulioca, *καρυοτόμια*. Gulliocae *κάρυα μακρὰ παρὰ Λουκιλλίῳ*. — *Mutonium*, *προβασκάντιον*, *ὡς Λουκίλλιος*. — Ex glossario Fornerii: *Tongere*, *εἴδειν*. Ennius in XVIII, Lucilius in XXIII [1]. Praeterea memorandi essent grammatici et lexicographi, quos constat plurimum in suis studiis Lucilii carminibus usos esse.

Pervenimus ad Juvenalis tempora. Hujus poëtae, quem jam adhibuimus, de Lucilio locum juvat iterum describere:

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est,
Criminibus, tacitâ sudant praecordia culpâ [2].

Perquam mihi memorabile videtur, quod de *auditore* hoc loco sermo est, ut mirer plane illud fugisse interpretes [3]. Cognoscitur enim hinc, aetate qua floruit Juvenalis, publice recitari Lucilii carmina consuevisse. Quare operae pretium est indagare quo tempore ille mos invaluerit. Ipse quidem poëta illam

---

1 *Lucil. inc. fr.* 162, 163, 177. *Fragm.* XXIII, 3 *Festus* p. 22, 50, 358. Ed. *Müll.*

2 Sup. p 89

3 *A. G. Rein disp. de Rom. Satiris* III p. 7 verba Juvenalis ad Lucilii adeo aetatem revocavit. « Haud scio an Juvenalis speraret, suas satiras tantam vim in animos habituras esse, quantum Lucilii satiras habuisse sibi persuaserat. »

publicam recitationem nec speravit, nec cogitavit, sed privatae lectioni destinavit opus suum, ut hic versus testatur:

Fervere ne longum vero hoc lectoribu' tradam [1].

Neque vero qui primi censentur illius operis famam propagasse, Archelaus et Philocomus, spem auctoris superarunt, sed coram paucis familiaribus legerunt et commentati sunt. Credibile tamen est, proximo tempore, quum vehemens studium et admiratio poëtae Romanorum animos et ingenia occupasset, labente republica in magno hominum conventu pronunciari illud coepisse. Horatius ipse satiras suas audientis populi judicio subjicere noluit, quia essent, quos genus illud minime juvaret. Maluit eas amicis, non ubivis coramve quibuslibet, recitare [2]. Illud intelligitur ex verbis Horatii *vulgo recitare timentis*, non inauditum eum negotium suscepturum fuisse. Quod confirmatur interpretis verbis: « Alii Sulcium et Caprium amaros fuisse satiricos ajunt, qui ad ravim usque suas satiras recitabant, carpendo latrones i. e. vitiosos et male viventes [3]. » Non diserte traditur hoc recitandi munere functus esse Valerius Cato; sed existimo equidem commodissime in eorum numerum referri eum posse. Nam est de eo hic versiculus:

Cato grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poëtas [4].

---

1 *Fragm.* IX, 15. Cf. *Dousa* p. 124.
2 *Sat.* I, 4, 22, 72. 10, 38.
3 *Comm. Cruq.* p. 351 *ad Hor. Sat.* I, 4, 70.
4 *De Ill. Gr.* 11.

E quo illud fere constare dixeris, *primum* cum Lucilii carmina in publico hominum coetu recitare exorsum esse. Neque enim video, nisi hic sensus subesse statuatur, quid illud *solus legit* significet, quum alterum *solus facit poëtas* haud obscure referatur ad singulare studium, quo ad poëticam tendentibus vacabat. Perspicuum ergo est, Catonem, veterum poëtarum, praesertim Lucilii carminibus legendis, tantam sibi brevi famam parasse, ut ceteris grammaticis suos quibusque discipulos et familiares eriperet, et Latinae Sirenes instar velut cantûs dulcedine motos ad se alliceret: post vero, aucto ad eum modum auditorum numero, quod privatim adhuc coram paucis ex more instituisset, publice in magna hominum frequentia expertum esse. Neque igitur quidquam obstaret, quominus de Lucilio non minus quam Laberio valeret Horatii illud:

Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris[1] —

nisi Laberium solum significatum esse inde constaret, quod Lucilius ab hoc vitio longissime abesset.

Haec si vere de immutato et amplificato Lucilii studio disputasse videbimur, non erit verendum, ne praelegendi ejus operis consuetudinem ad Juvenalis aetatem propagatam esse falso existimaverimus. Veruntamen perduravit postea idem institutum. Cujus rei testis est Gellius: « Lucilii ex undecimo versus sunt: *Scipiadae* —. *Obiciebat* o litera producta multos legere audio: eo facere dicunt, ut ratio numeri salva sit. Idem infra: *Et jam conicere* —.

---

1 *Sat.* I, 10, 7.

In hoc quoque primi verbi praepositio ob eandem causam producitur. Item quinto decimo: *Subicit hinc* —. *Subicit* u litera longa legunt, quia primam syllabam brevem esse in versu heroico non convenit[1]. » Non potest hîc de domestica et tacita lectione sermo esse, quia syllabarum productionem, quae signo indicari potuisset, pronunciatione perceptam fuisse satis perspicue verba ostendunt. Quin ex eodem intelligimus, huic publice praelegendi muneri multos Gellianae aetatis viros studuisse: « In casu dandi qui purissime locuti sunt, non *faciei*, uti nunc dicitur, sed *facie* dixerunt. Lucilius in satiris, *primum*, inquit, *facie* —. Idem Lucilius in libro septimo —. Sunt tamen non pauci, qui utrobique *facii* legant[2]. »

---

1 IV, 17, 1.
2 IX, 14, 11.

QUAMDIU EXSTITERUNT LUCILII CARMINA? RELIQUIARUM EDITIONES.

Exhausimus fontium tenuitatem, ut quid a opsteris operae in Lucilii satiris vel interpretandis et illustrandis, vel commendandis et propagandis positum esset, constaret. Quaeri vero extremo capite possit, quamdiu superstites illae fuerint, quando periisse videantur. Premitur haec quaestio difficultatibus, nec multum lucis scriptorum veterum testimonia collata et distincta pollicentur. Sed quoniam in eam incidimus, ne prorsus desperemus, quidque probabiliter disputari possit, experiamur. Satis patuit, extremis reipublicae Romanae temporibus dignissima visa esse carmina Lucilii, quae studiose legerentur. Neque est dubitandum, quin integra habuerint Petronius, Persius, Juvenalis, Quintilianus, Plinius Secundus [1]. Etiam, qui ante Hadrianum floruisse dicitur, Velius Longus ea sic memorat, ut lectitasse putandus sit [2]. Cui adjungendus videtur M. Terentius

---

1 Cf. supra p. 88, 125, 145, 111, 126, 127

2 *De Orthogr.* p. 2227. « Nec aliter apud Lucilium legitur. » Cff. p. 2214, 2220 Putsch.

Scaurus [1]. Quamvis autem fatendum sit, utrumque unius tantum satirarum libri *noni* mentionem fecisse, tamen non dubitari potest, quin ceteri quoque ea aetate exstarent. Grammaticis enim liber ille praesertim curae cordique fuit, quippe suae disciplinae thesauros continens. Ceteris hoc studio alienis eatenus usi sunt, quatenus antiquitatem inde sermonis hauriendam sibi putarunt. Quod intelligitur ex A. Gellio, qui suppari illis aetate floruit, apud quem est: « At ille jactans et gestiens: Non enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiversatorem *bovinatorem* dicit [2]. » Publice quoque ejusdem aevo Lucilii carmina recitata fuisse, modo suspicati sumus. Ab hoc aetate proximi Lucilium commemorarunt Censorinus, Arnobius, Lactantius. Primus: « Euclides Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit appositum: quam rem apud Lucillium in libro satirarum *nono* (Cod. LB. et Ald. habent XVI) licet cognoscere [3].» Alter *Fornicem* Lucilianum, qui sine dubio libri titulus fuit, tanquam notum aequalibus posuit [4]. Ex Lactantii testimoniis non minus perspicuum fit, cognovisse eum Lucilii carmina. Quae licet diserte nusquam pronunciet a se lecta esse, tamen longioris fragmenti mentio, praesto ei lectionem librorum fuisse, docet [5]. Praeterea Ausonium poëticas Tetradii lau-

---

1 *De Orthogr.* p. 2255.

2 XI, 7, 9. (XX, 8, 1) Legere h. l. de tacita lectione.

3 *De die nat.* c. 3.

4 *Adv. Gentt.* II p. 447.

5 *Inst. Div.* VI, 5, 2.

des Lucilianis conferentem vidimus; unde satis intelligitur, ei haud ignotas hujus satiras fuisse, quem aemulatus adeo est [1]. Hac igitur omni aetate satis certo affirmari potest, Lucilii poësin exstare non desiisse. Scriptores autem, quos memoravimus, quatuor primis a Ch. seculis floruerunt. Secuti sunt eos grammatici et rhetores, in quorum scriptis maxima exemplorum copia et varietas e Lucilio depromta est. Nec tamen quisquam eorum diserte usquam ostendit, ejus carmina vel partim vel integra sua aetate superesse. Verum rationem, qua versus et vocabula poëtae laudant, considerantes, facile nobis persuademus, integrum opus eos excerpendi causâ adiisse. Quod quamvis de postremo eorum Isidoro, qui decessit a. 636, affirmari non possit, qui non nisi perraro Lucilii mentionem fecit [2], tamen de Prisciano aliisque valet. Tan-

---

1 Sup. p. 115, 129.

2 Loca haec inveniuntur: *Orig.* I, 32, 5. Fiunt soloecismi et plurimis modis. Nam Lucilius centum genera soloecismorum dixit (inc. fr. 121). — I, 35, 3. Zeugma — fit in primo, ut: *Vertitur oenophoris fundus, sententia nobis* (fragm. III, 29). In medio, ut: *Graecia Sulpicio sorte data, Gallia Cottae* (inc. fr. 188). — (XX, 6, 1. Oenophorum vas ferens vinum — de quo est illud: *Vertitur oenophoris fundus, sententia nobis*). — XV, 8, 6. Laquearia sunt, quae cameram subtegunt et ornant, quae et lacunaria dicuntur. Principaliter autem lacus dicitur, ut Lucius (l. Lucilius): *Resultant aedesque lacusque* (inc. fr. 139). Cf. XIX, 12. — XIX, 4, 10. Cataprorates, linea cum massa plumbea, qua maris altitudo tentatur. Lucilius: *Huc cataproratem puer eodem deferat unctum* — (fr. inc. 11). — XIX, 7, 2. Marcus malleus major — Marculus malleus pusillus. Lucilius: *Et velut in fabricam fervens cum*

dem vero mentem nostram advertit Commentator Cruquianus. Ibi ad illud Horatii: *At si quis pedibus* — « Sensus est: si quis inveniatur, hoc tantum contentus claudere, i. e. ut claudat aliquid, concludat et finiat, senis pedibus, i. e. hexametris versibus, quod fecisse videtur Lucilius, numerum versuum potius amans quam ornatum et mollitiem [1]. » Haec verba si quis accurate explorat, promtum est videre, alienâ confisum auctoritate, non suo usu nisum haec scripsisse. Horatio enim, quem sequitur, fidem habet. Veruntamen alia sunt haud pauca indicia, e quibus efficias, patuisse scriptori, si unus cuncta composuisset, aditum ad Luciliana [2]. Res autem explicanda videtur ex ratione, quam in edendo commentatore Cruquius secutus est. Multa enim ex Acrone et Porphyrione adscivit; haec vero excerpta locupletavit variorum codicum subsidiis, ita ut, qui singularis interpres videri possit, permulti sint, quorum scholia Cruqui-

---

marculu' ferrum — (fr. inc. 14). — XIX, 26. Sipla, tapeta ex una parte villosa, quasi simpla: amphitapa ex utraque parte villosa tapeta. Lucillius: *Sipla atque amphitapae villis ingentibu' molles* (fragm. I, 22). — XIX, 30, 1. Prima ornamenta corona insigne victoriae — Haec a Lucilio *corolla*, ab Homero στεφάνη dicta est (fr. inc. 160). — ? Orthographiam, i. e. scripturam rectam contra imperitiam librariorum Lucilius poëta primum scripsit (Dousa p. 43). — Ex hac testimoniorum paucitate quamvis vix quidquam suspicari licet, tamen animadvertendum, nonnulla aliunde sumsisse Isidorum: ex Servio ad Virg. Aen. I, 730 ad verbum ea quae de *lacubus* monuit: ex Persii glossatore ad verbum, quae XX, 6, 1 leguntur.

1 *Ad Hor. Sat.* I, 10, 59 p. 399.

2 v. c. p. 318[b], 320[a], 333[a], 37[illegible]

us digessit et ediditt[1] Verisimile ergo est, verba ea, quae laudavimus, recentioris alicujus scholiastae esse, cujus aetate jam deperditum esset Lucilii opus. Mirum vero, illis similia legi apud Helenium Acronem[2]. Qui ubi Horatii de Lucilianorum librorum natura sententiam illustrat, id Lucilium ex Graecis lyricis sumsisse narrat, qui libris propriis amicorum loco essent usi. Haec ad verbum apud Commentatorem Cruquianum exstant[3]. Pergit vero Acro: *Dicitur Lucilius vitam suam scripsisse, et non sibi pepercisse*, quae non leguntur apud illum. Si igitur re vera Acronis verba sint, neque a posteriore quodam librario interpolata esse videantur, statuamus necesse est, illam operis Luciliani partem, qua suam poëta vitam exposuit, Acronis aetate jam interiisse. Reliquam enim vel universam vel majorem partem ei innotuisse frequens verborum et locorum Lucilianorum usus ac mentio persuadet. Itaque, quoniam apud Acronem Priscianum memoratum videmus[4], hoc sane ille posterior fuisse credi posset. Verum, Acronem Terentii interpretem, quem saepius Charisius laudavit, diversum esse a cognomine grammatico, Horatii interprete, existimabimus? Vix consentaneum videtur, duos interpretes distinguere, magisque in eam opinionem

---

1 Cf. *Suring. Scholl. Latt.* III p. 62 *sqq.*

2 Nescio cur *Dousa Lucil. Fr.* p. 20 (fr. inc. 171) *commentatorem veterem*, non *Acronem* dicat, quem tamen saepius memoret.

3 p. 408a.

4 *Ad Hor. Epp.* II, 1, 228. Cf. *Comm. Cruq.* p. 597a.

inclinamus, ut putemus, interpolatum esse Acronis locum, indeque pellendum Priscianum. Nam sic legitur: « — Sed secundum Priscianum *arcesso* venit ab *arceo*, quod nunc dicimus *adcio*, et compositum ex *ad* praepositione et *cio* verbo, quod est voco, quia antiqui dicebant *ar* pro *ad*. » Quae ipsa verba ita leguntur apud Priscianum: « — Unde ostenditur, recte *arcesso* dici ab *arcio* verbo, quod nunc *accio* dicimus, quia est ex *ad* et *cio* compositum [1]. » Apparet quam absurde *nunc* apud Acronem ponatur, quod festinans librarius non curavit. Haud igitur temere Acronem Charisio [2] et Prisciano antiquiorem fuisse statuimus [3].

Plura quidem de hac quaestione proferri posse despero. Ultimus, quem novimus Lucilii fecisse mentionem, videtur esse Beda Venerabilis [4]. Primi, quibus a renatis literis disjectas naufragio tabulas colligere curae fuit, Rob. Stephanus et Henricus filius censendi sunt, qui eas inseruerunt

1564. *Fragmentis Poëtt. vett. Latt.* Paris. 8. (p. 151—214) [5].

Hujus operis exemplum, manu *Dion.* et *Jac. Gothofredi* emendatum et suppletum, exstat in Bibl. Senat. Lips. Aliud manu *J. Dousae* emendatum in Bibl. Lugd. Bat.

---

1 Vid. *Suring. Scholl. Lat.* III, p. 8, 26.

2 Sosipatrum Charisium, Prisciano antiquiorem, exeunte seculo quarto et ineunte quinto floruisse recte suspicatus est *Osann Beytr. z. Lit.* II p. 340.

3 *Suring. eod.* p. 29.

4 *De arte metrica* (Opp. I, 37. Colon. 1612). *Putsch Gramm. Latt. vett.* p. 2373. *De orthogr.* p. 55. 2778. Uterque locus ex *Charisii* desumtus *Inst. Gr.* I p. 60 et 75.

5 Cff. *Fabric. Bibl. Lat.* I p. 667. *Pers. et Juven. Satt* Ed. Bip. 1785 p. LVI.

Mirum, novo editori silentio praetermissam esse eam collectionem. Fuit is Fr. Jani F. Dousa, qui singularem industriam, quam in edendis et locupletandis fragmentis posuerat, auspice Jos. Scaligero eruditis probavit. Copiosissimis notis varias patris sui Jani Dousae conjecturas intertexuit. Liber prodiit titulo:

1597. *C. Lucili, Suessani Auruncani, Satyrographorum principis, Eq. Romani, Satyrarum quae supersunt reliquiae.* Lugd. Bat. 4 [1].

Haec editio princeps est et saepius repetita: non tamen a proximis editoribus, qui cur maluerint antiquiorem Stephanorum operam sequi, me latet. Ante vero quam singulorum operam recenseam, qui in repetenda Dousiana acquieverunt, memorandi nobis sunt Petrus Colvius (Colve) Brugensis, natus a. 1567. Jam a. 1594 matura aetate mulae calce ictus periit. Edidit a. 1588 L. Appulejum, commentario illustratum, et ad Sidonium p. 11 pollicitus est Lucilii editionem. Ac serio quidem hoc opus meditatum atque in Lucilianis fragmentis sedulo versatum esse, testis est Dousa, qui eum in notis ad Lucilium p. 128b laudavit et eruditissimum juvenem appellavit. Alter, Josephus Isaeus, Caesenas, Lactantium, ad fidem vetustissimarum et optimarum membranarum Bononiensium recognitum, a. 1646 Caesenae edidit. Deinde Romae a. 1650 notas in eundem vulgavit. Patet autem

---

1 Cff. de ea *Leipz. Gel. Ztg* 1735 p. 273 et 757. *Suppl. ad nova Acta Erudit. Lips.* 1739 Tom. III Sect. II n. 4, p. 63—69. Haec quidem censura spectat Edit. Venetam anni 1735, sed in Dousae meritis pendendis versatur. Illam non vidi.

ex ejus editionis notitia, quam dedit in sua ad ejusdem scriptoris editionem praefatione Bünemann n. 43, 44, quanta subsidia Isaeo praesto fuerint. Quamobrem futuro Lucilianarum reliquiarum editori lucubrationes Isaeanae diligenter erunt investigandae; nam Romae collegisse Lucilii fragmenta fertur [1].

1603. *Corpus omnium vett. poëtt. latt. secundum seriem temporum digestum et libris* V *distinctum, praefixâ unius cujusque poëtae vitâ.* Ed. *Sam. Crispino.* 4. Genev. (*Lucilii Fragm.* ex Rob. Stephani collect. desumta exstant vol. I). — Editio II a. 1611. — III a. 1616 cur. *Alex. Ficheto* Lugd. — IV a. 1627.

Cf. *Fabr. Bibl. Lat.* I p. 691.

1612. *Q. Horatii Flacci Opera cum animadversionibus D. Heinsii.* Lugd. Bat. 8. Accedit *D. Heinsii liber de Satyra Horatiana.* Item *Selecta Lucilii Satyr. Fragm.* qualia *Rob. Stephanus* in *fragm. latt. poëtt.* dederat.

In *Ed. Heins.* L. B. 1612 12 p 208: « Ne aliquot sequentes plagellae vacarent, Fragmentorum Lucilii poëtae insignlora seligimus iis replendis. Selectiora autem aut insigniora intellige ea, quae aut sensu morali excellunt, aut alioqui pluribus conjunctim versibus reperiuntur. » p. 209—214. — In *Ed. Heins.* 1629 12. p. 235. « Visum est hoc loco, cum pagellae aliquot vacarent, selectiora quaedam Lucilii apponere fragmenta. In quibus nonnulla, ad quae Horatius respexit, seorsim asteriscis notata. Ex quibus etiam hoc disces, Lucilium τεχνικὰ quaedam in Satyris tractasse, quae ad grammaticam spectarent: sicut Horatius poëticam artem. » p. 235—240.

1661. *C. Lucilii — reliquiae.* Coll. *Fr. Dousa.* Amst. 4. Ed. II.

Est proprie Ed. prima recuso titulo.

---

1 Cf. *P. Colomesius* ad *Gyraldi Dial. de poëtt.* p. 195.

1713. *Opp. et Fragm. vett. poëtt. Lat. tam prophan. quam ecclesiast.* Ed. *M. Maittaire.* Londini fol. (*Lucilii fragm.* in *vol.* II *p.* 1496 *sqq.*)

1721. *Corpus omnium vett. poëtt. Lat.* cur. *M. Maittaire.* Hag. Com.

1735. *C. Lucilii — reliquiae.* Coll. *Fr. Dousa.* Ed. II Lugduno-Batavâ auctior et emendatior (curr. *Jo. Ant.* et *Cajet. Vulpiis*). Patavii 8.

In *Epist. ad cand. Lectt.* « Lucilii Fragmenta (a. 1597) typis longo usu detritis visuque injucundis excusa fuerant : quod plerumque consuevit Raphelengius. Eam porro Editionem summa cum fide ac diligentia typis describi curavimus, plurima errata sustulimus, praeter illa pauca quae in calce voluminis notata erant : loca quaedam aut nullâ aut obscurâ sententiâ, restituimus. Fragmenta Satyrarum, quae in Adnotationibus recitantur cum eorumdem contextu, non sine legentium emolumento, a nobis collata sunt. Numerorum seriem perturbatam in Reliquiis libri XXX correximus et ordinavimus. Quae Dousa in extremo libro, *addenda*, posuerat, in sua loca revocavimus. [Non factum esse apparet]. Tandem ut studiosae juventutis rationibus consuleremus, quae ad Lucilium pertinentia scripsit *Fabricius*, et quae de vita ejusdem *Crinitus* et *Sagittartus* memoriae tradiderunt, operae pretium adjicere existimavimus. » — Cf. *J. A. Vulpii* liber de *satyrae lat. natura et ratione* p. 109.

1743. *Censorini liber de die natali.* Rec. *S. Havercamp.* Accedunt *C. Lucilii reliquiae cur. Fr. Dousa.* Lugd. Bat. 8. — Ed. II a. 1767.

Lucilianis additus est index locupletissimus — Praestat *Fr. Dousae* Editioni a. 1597, quia notae ipsi textui subjectae sunt. Cff. *Acta Erudit. Lips. Suppl.* t. III p 63 sqq.

1766. *Collectio Pisaurensis omnium poëmatum, carminum, fragmentorum latinorum*, curâ *Pascalis Amati.* Pisauri. 4. Vol. IV p. 332—358.

1785. *Persii et Juven. Satirae.* Acced. *Sulpiciae Satira* et *C. Lucilii Fragm.* Bip. 8.

Dousae notae additae non sunt.

1804. *Persii et Juven. Satt.* una cum *Lucilii fragm.* 8. Vindob.

1812. *Persii Satirae* cur. *N. L. Achaintre.* Accedunt *C. Lucilii Satirarum Fragm.* et *Sulpiciae Satira* ex recens. *Fr. Dousae* p. 219—324. Par. 8.

Inest index vocabulorum Lucilianorum p. 355—365.

1823. *Juvenalis et Persii Satt.*, *Sulpitiae Sat. et Lucilii fragmenta.* Cameraci 12.

1830. *A. Persius*, cum interpr. lat. lect. variet. et adnott. novis. Item *Lucilii fragmenta*, *Satira Sulpiciae* cum nott. excurs. indic. cur. *A. Perreau.* (Satiric. Latt. vol. III). Paris. 8.

Praeterea in *Epigr. vett. Collectione*, quam in libros IV distinctam *P. Pithoeus* Parisiis a. 1590 12. et Genevae ac Lugduni a. 1596 8. edidit, *C. Lucilii epigrammata* memorantur, quae in *Anthol. Lat. vett. latt. Epigr.* cur. *P. Burmanno* Amst. a. 1759 repetita sunt.

OPERIS LUCILIANI ARGUMENTA.

Proposito nostro, cui partim satisfecimus, ut omnino satisfiat, necesse est operis satirici, cujus fragmenta supersunt, materiam attendere, atque indagare in quibus potissimum argumentis Lucilius versatus fuerit. Materia autem, quam tractavit poëta, non fuit una ac simplex, sed maxime varia ac diffusa. Quod nisi satis pateret ex scriptorum testimoniis et fragmentorum indiciis, haud temere augurari liceret ex posteriorum satiricorum poëtarum more, velut Juvenalis, qui ait:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli [1].

Verum non opus hîc nobis est divinatione, quippe Horatium testem habentibus. Qui, memoratis Eupolide, Cratino et Aristophane, hi, inquit,

Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant [2].

---

1 *Sat.* I, 85.
2 *Sat.* I, 4, 3

Ab his veteris comoediae principibus pendere Lucilium eosque secutum esse tradens, declarat idem eum sibi proposuisse scribendo, quod olim illis placuisset. Omnem illi morum publicorum labem et depravationem, illiberalia atque inhoncsta popularium studia, pravas consuetudines, cetera vitia omnia antiquae virtuti contraria vehementer exosi, audacter iis, qui his infecti vitiis gravissima civitati mala minabantur, resistere conati fuerant, neque amara tantum sed etiam lepida festivaque derisione scelestos ac facinorosos cives ridiculi specie tactos et obrutos, ac pudore suffusos ad meliorem frugem vitaeque honestatem revocandos esse censuerant. Horum igitur exemplo fretus Lucilius suae aetatis commodis prospicere et mederi morum corruptelae studebat. Ac tempestivum quidem hoc ejus consilium fuisse, conditio civitatis Romanae, qualem paucis adumbravimus, abunde probat[1]. Praegnans erat aetas illa, qua floruit, maximorum vitiorum; horum partim semina latebant, partim pullulabant jam et dispersa latius crescebant; alia, maturius invecta, diutius inveteraverant ac regnabant. Haec omnia a puero inde Lucilius in Scipionis castris occulte oborientia viderat, atque indignatus generosus adolescens, quae viderat, audierat pleneque perspexerat, graviter perstringere et denudare instituit. Haud aliud igitur scribendi consilium fuit; hic fons, haec materia, quae haurientem deficere non poterat, quaeque una maxime decora erat atque accommodata, in qua ingenii facultates libere periclitaretur. Age-

---

1 p. 70 sqq.

batur enim reipublicae salus; in qua curanda postquam diutissime armorum vis frustra desudaverat, firmioribus praesidiis opus esse videbatur, ut non tantum averterentur ingruentia mala, sed etiam praesentium vis reprimeretur. Quare quid fortunatius eo tempore contingere civitati Romanae potuerat, quam Lucilius, virtutis verae custos rigidusque satelles?

Ut vero auctore Horatio peculiarem hanc fuisse scriptorum Lucilianorum materiam patet, ita eandem a Lucilio his versibus quasi adumbratam cognoscere juvat:

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum,
Queis in versamur, queis vivimu' rebu' potesse:
Virtus est homini, scire id quod quaeque habeat res,
Virtus, scire homini rectum, utile, quid sit honestum,
Quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum:
Virtus, quaerendae reî finem scire modumque:
Virtus, divitiis pretium persolvere posse:
Virtus, id dare, quod re ipsâ debetur honorî;
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum:
Commoda praeterea patriae sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra[1].

---

1 *Fr. inc.* 1.

Haec Lucilio fuit virtutis verae commendatio. Quam diligenter attendentes, singularumque definitionis partium rationem investigantes, sponte assequimur, quae vitia virtuti contraria satiris persecutus sit. Sed haec quamvis praecipua, tamen non unica materia poëtae fuit. Nam fervido ille ingenio praeditus, quod omnem sedulitatem meditationisque studiosae moram fugiebat ac liberrime agitabatur, quo fortuna ut ventus ferebat, ipsa rerum describendarum varietate perpetua delectabatur. Itaque impellente ac jubente animo, non moderante judicio scribebat aut dictabat, nec magis argumentorum ordinem et dispositionem quam formae compositionem attendebat. Quod quo melius intelligatur, utque universi operis quae ratio fuerit aliquo modo percipiatur, eorum librorum, de quibus apud veteres mentio exstat, summam exponere conabimur.

Primum satirarum librum inscriptum fuisse *Deorum concilium* docet Lactantius: « Jupiter a precantibus pater vocatur, et Saturnus et Janus et Liber et ceteri deinceps: quod Lucilius in Deorum concilio irridet[1]. » Ac re ipsa in eo Deorum concilium descriptum fuit. Nam Servius ad Virgilii verba *Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta* « totus hic locus, inquit, de primo Lucillii translatus est libro, ubi inducuntur Dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cujusdam judicis in republica (al. judicis rei v. ducis in republica), postea sententias dicere[2]. » Addit

---

1 *Inst. Div.* IV, 3.

2 *Ad Aen.* X, 104. Cf. *Jul. Pomp. Sabinus ad*

Servius: « Sed hoc quia indignum erat heroico carmine, mutavit Virgilius, et induxit primo Jovem loquentem de interruptis foederibus, cujus orationem interrupit Venus: post secuta Junonis verba sunt, quibus redarguit Venerem. » Frequenter ab antiquis poëtis Deorum concilia de rebus humanis haberi ficta sunt. Testis Homerus Odysseae initio et libro quinto, ubi absente Neptuno convocati Dii de reditu Ulyssis deliberant. Etiam Cicero in carmine, quo celebravit consulatum illum suum, concilium Deorum instituit [1], et Aeneidis libro decimo idem finxit Virgilius. Postea Lucianus *Θεῶν ἐκκλησίαν* scripsit, ubi dicendi partes habent Jupiter, Mercurius et Momus. Recte autem J. Dousa duplex a Lucilio Deorum concilium institutum fuisse existimavit; Jovem priori non interfuisse, deinde posteriore ex ceteris Diis cognovisse, quibus de rebus et quo pacto ante deliberare iis visum fuisset, molesteque tulisse pristinam absentiam suam [2]. Huc vidit Scaliger spectare verba Pseudo-Asconii: « Incipiebant, ait, veteres, ut Virgilius ostendit, aut ab invocatione Deorum — aut reprehensione superioris temporis, ut ait Lucilius: *Vellem cum primis fieri si forte potisset* [3]. » Quem versum idem aptissime connexuit cum duobus aliis, quibuscum necessario cohaeret:

---

l. l. vs. 18. *Totus iste locus est ex primo Lucilii, apud quem introducitur concilium deorum de interitu Lupi.*

1 Cff. quae notavimus in *disq. de Cic* Φιλιππ. p. 53 *sqq.*

2 *Lucil. Fr.* p. 110.

3 *Ad Cic. Divin.* c 14. (Ed. Orell V, 2, 116). *Lucil. fr. inc.* 58.

Vellem concilio vestro, quod dicitis, olim, Coelicolae, vellem, inquam, affuissemu' priori Concilio [1].

Praeterea huc pertinere videtur versus alius, quem Servius memorat ad Virgilii verba *conjugis antiqui*. « Aut prioris, aut cari. Lucilius: *Concilio antiquo sapiens vir solu' fuisti*. Antiquus ergo est, qui praecedit eum, qui praesens est [2]. » Obesse videtur *vir*, sed legendum sine dubio est *vix*, quia *vir sapiens* vix dici hîc potuit. Itaque postquam priore concilio de summis hominum rebus deliberatum [3], leniusque judicium, quam par erat, a ceteris Diis latum erat, poenitebat Jovem, se non affuisse, ac reprehensis reliquorum coelicolarum sententiis, solam unius Dei, qui severius judicasset, sapientiam probabat. Causa autem, cur sibi Jupiter a Diis dissentiendum putaret, nuncius de Lupi, viri facinorosi et factiosi, vita in coelum perlatus efficiebat. Cujus tam gravem esse constabat morum improbitatem et turpitudinem, ut singulari supplicio vindicanda videretur [4]. In primis vero spretum ab isto Deorum cultum fuisse, indignabatur Jupiter, quod suspicari licet e Ciceronis loco: « Quid de sacrilegis, quid de impiis perjurisque dicemus?

— *Tubulus si Lucius unquam,*
Si Lupus aut Carbo, Neptuni filius, —

ut ait Lucilius, *putasset esse Deos, tam perjurus*

---

1 *Fragm.* I, 2.
2 *Ad Aen.* IV, 458. *Lucil. fr. inc.* 55.
3 *Fragm.* I, 1.
4 Cf. *Cic. Catil.* I, 13 *extr.*

aut tam impurus fuisset[1]?» Hos versus haud male primo libro adjecit Dousa. Quem eo lubentius sequemur, ubi Lactantii verba contulerimus. Memorat hic, in precantium formulis moris fuisse, singulos Deos *patris* appellatione venerari, idque irrisum esse docet a Lucilio. Ipsum invocationis morem Jovis oratione patefacit. Sic enim Jupiter:

Ut nemo sit nostrum, quin pater optimu' divûm
Aut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu', Quirinu' pater nomen dicatur ad unum[2].

Videtur autem Lucilius universe ridiculum illum morem perstrinxisse arguendo, naturam humanam non pati, ut sint unius hominis multi patres. Praeterea vero, ut facile conjicimus ex versu superiore, quem Cicero servavit, salse lusit eos, qui quamvis Deos vel ejerarent vel aspernarentur, eorumque cultum nihili facerent ludibrioque haberent, tamen solenni *patris* appellatione, Deorum in rebus dubiis auxilium imploraturi, uti non erubescebant. Qui si Deos *patres* salutabant, necesse erat, ut ipsi Deorum *filii* essent. Acerbâ igitur eos ironiâ, velutsi heroës seu semidii essent, Lucilius exagitabat. Postquam vero Jupiter, ut videtur, Lupi, nequissimi hominis, vitae cursum exposuerat, cum ceteris Diis, quo supplicii genere afficiendus videretur, deliberavit. Qui cum consuluissent inter se, sua singuli suffragia tulerunt. Verum tamen praeter istum Lupum de aliis quoque ejusdem

---

1 *De Nat. Deor.* I, 23, 63. *Lucil. Fr.* I, 4.

2 Cff. *Gell.* V, 12. *Hor. Epp.* I, 16, 59. *Prop. Eleg.* III, 3, 11. *Auct. lib. de orig. p. R.* — *Lucil. Fr.* I, 3.

nequitiae hominibus sermonem fuisse in Deorum concilio, patere existimem ex his versibus supremo Deo haud perperam tributis:

— *ut multos mensesque diesque,*
Non tamen aetatem tempestate hac scelerosi
Laetentur [1].

Itaque plurium sceleratorum causa acta esse videtur, postquam apud Deos de Lupi supplicio constabat. In his cum alii bene multi fuerint, tum praeter L. Tubulum et Carbonem a Cicerone memoratos Metellus, quem Horatius indicavit et cum Lupo composuit [2], Pantolabus et Nomentanus, qui ambo homines viles et luxuriosi dicuntur fuisse [3]. Cauturum se esse pronunciat Jupiter, ne isti, qui impietate et flagitiis clam dudum gavisi fuissent, totam vitam iisdem studiis voluptatibusque indulgerent. Neque ineptum est credere, huc pertinere et a Jove ipso expositam esse, quae *populo* et *senatoribus* eo tempore placeret, turpem vitâ abutendi rationem, perfidiâ, astutiâ, adulatione, simulatione insignem: quod vitae genus cum praesentem reipublicae labem testaretur, tum impendentem perniciem portendebat [4]. Quin haud scio an non sive Jovis sive alius sententiam ferentis Dei versus sit:

Quo populum atque urbem pacto servare potis sit
Ampliu' Romanam [5] —

---

1 *Fragm.* I, 6.

2 Sup. p 65.

3 *Auctar.* post *Comm. Cruq.* p. 691.

4 Loco supra memorato p. 74.

5 *Sosip. Char. Inst. Gr.* II p. 176. *Virg. Intt. vett.* Ed. Maio p. 72. *Lucil. Fragm.* I, 5.

Ad quem locum Charisius: « Namque adeo prolixum temporis spatium significat, ut judices, quotiescumque significarent, adhuc se audire velle, *amplius* dicebant. » Postrema verba non video quo spectent; illud vero, quod de prolixo tempore animadvertit, indicat, Deos, qui diutissime singulari curâ Romanarum rerum gloriae et amplitudini invigilassent, desperasse jam de illa imperii Romani *immortalitate*[1], postquam cognorant qualia non privatim tantum, sed etiam publice scelera et flagitia impune grassarentur. Ut vero cetera quaevis vitia gravi oratione persecutus videri potest Lucilius, ita potissimum de *impietatis* crimine egit: sic autem, ut Ciceronis verba indicant, egit, ut pessimorum quorumque studiorum fons illa uberrimus ostenderetur esse. Quae si cogitaverimus, intelligetur facile, Lucilianum illum res describendi exponendique modum unum efficacissimum fuisse ad excitandum pudorem et probrosos mores emendandos, vereque Juvenalem praedicasse, tantam satirarum vim fuisse, ut qui earum recitationi interessent, erubescerent auditores et tacitâ culpâ sudari pectora sentirent. Hunc librum L. Aelii Stilonis nomini inscripsit[2].

De libro secundo memorandum, quod Ellendto visum esse cognovi. Is enim de M. Aemilii Scauri vita disputans « moribus, ait, si Ciceroni credas, nihil sanctius, nihil gravius, nihil antiquius fuit. At Sallustius Jug. 15, et ab hoc respectus fortasse Lucilius, Saturarum libri secundi fragmentis, ingenii magnitudinem cum ea morum fallacia junctam fuisse, ut spe-

1 Cff. quae supra diximus p. 70 sqq.

2 *Disp. de L. Ael. Stil.* p. 96.

cie virtutum pessima vitia tegerentur, et ille quidem rerum documentis, demonstrarunt[1]. » Sane nemo dignior fuerit, cui pellem detraheret Lucilius, qua solebat ille nitidus per urbem cedere introrsum turpis. Sed in illius libri fragmentis, quod eum spectet, nullum invenitur nisi sextum : *Quae nunc Aemilio praecanto, atque exigo atque excanto*, quod obscure dictum quo valeat, perspectum non habeo.

Libri tertii praecipuum argumentum diximus fuisse itineris descriptionem, quod Lucilius Româ fecit Capuam, et inde ad fretum usque Siciliense[2]. Cujus itineris simplicissimam rationem et perquam exiguos sumtus fuisse, facile nobis persuademus. Susceptum enim cum uno viae comite, sequente servo. Ac primum quidem pedestre videtur fuisse; cantherio autem manticam imposuit, quae costas ejus gravitate premebat. Sic Româ proficiscens referebat priscum illum Catonem, pari simplicitate iter instituentem[3]; referebat seniores amicos, Laelium et Scipionem, parce sobrieque foris degere solitos. Ostiam delatus, juxta mare ad fines Setinorum contendit. Quo appropinquanti via, quae satis expedita, certe minus ardua fuerat, majores difficultates objecit, quippe paludibus Pomptinis invia fere. Inde e planitie montes erant superandi asperi et praerupti. Perventum Capuam, ubi commorari placuit. Affuisse ibi Lucilius certamini gladiatorio videtur, certantibus Aesernino Samnite et Placideiano, qui arte

---

1 *Proleg. ad Cic. Brut.* p. XLVIII.

2 Sup. p. 59.

3 *Senec. Ep.* 87.

excellebat. Quod sane spectaculum dignum erat, quod accurate a Lucilio describeretur; atque ita perfecisse videtur, ut quae iratis isti animis, jamjam digladiaturi, inter se verba et convicia effuderunt, referret, deinde certamen ipsum ejusque exitum adumbraret [1]. Capuâ primum delati Puteolos, quod iter erat circiter millium passuum. Tum conscensa nave, Minervae promontorio superato, Salernum vecti: inde cum in portum Alburnum ad fluminis Silari ostium appulissent, iter ad Palinurum persecuti mediâ huc nocte pervenerunt. Hinc, verisimile est, non longius quam ad Scyllaeum promontorium provectos esse, unde Varges statuit prospici Rhegium et Liparas, quod spectaculum sibi ante semper votis expetitum fuisse, poëta significat [2]. Hujus vero varia itineris fata, omnem rerum tam prosperarum quam adversarum, voluptatis et molestiarum varietatem sine dubio hoc loco complexus est Lucilius. Acciderat, ut in itinere commodum deversorium non inveniretur; cogebantur devertere in tabernam, ubi non modo non ostrea, non purpura, non peloris, sed ne asparagi quidem essent [3]. Aliquando Tantalus sibi videbatur, qui ob facta nefaria poenas luisset [4], quum

---

1 *Dousa ad Luc. fr.* p. 17 recte videtur ad hunc librum ex quarto transferenda esse existimasse, quae non indicato libri numero apud Ciceronem aliosque exstant, nec intelligo cur *Varges*, qui commentationis suae p. 7 certaminis gladiatorii mentionem libro tertio factam esse vidit, fragmenta libri IV decimum, undecimum et duodecimum adderc noluerit.

2 Cf. *Vargis comm. l.* p. 59.

3 *Fragm.* III, 17, 18.

4 *Eod.* 28.

vicinam urbem aut oppidum oborta nocte contingere desperaret. Quin pernoctasse etiam sub dio videtur et emisisse qui ligna quaererent: qui quum re infecta redirent, jussisse puerum frangere calam ut caleret, qui frigore jam obtorpesceret [1]. Licet vero Lucilius potissimum in hoc argumento versatus sit, tamen tertius liber itineris descriptione non absolutus fuisse dici potest. Etenim eodem in emendandis locis Accianis, Ennianis et Pacuvianis occupatus fuisse fertur [2].

Libro quarto divitum luxuriam et vitia castigavit [3].

Duplex libri quinti argumentum novimus. Namque questus eo dicitur cum amico, quod ad se aegrotantem non viseret [4]. Amicum, quem compellavit, rhetorem fuisse, scite suspicatus est Scaliger [5]; nam ex querimoniae fragmento, quod servatum est, apparet irrisisse poëtam παρίσωσιν, quae in deliciis amici fuerit. Simul carpit fragmento primo amicitiae inconstantiam, quod, commune aequalibus suis vitium, ei qui antea sibi amicus fuerat opprobrio vertit. Potest tamen jocose dictum accipi. Perhibet, eo perfidiae multos evasisse ut, quibuscum amicitiae benevolentiaeque vinculo juncti fuissent,

---

1 *Fragm.* III, 34. *Fr. inc.* 138. *Cala* quamvis, interprete *Servio ad Virg. Aen.* VI, 1, militare vocabulum sit et *fustem* significet, quem servus dominum sequens ad proelium portabat, tamen hujus loci esse potuit, quia adversus latronum insidias et impetum telis opus erat. *Servius* autem ita partim interpretatur versum: *o puer, frange fustes et fac focum.*

2 *Auct.* post *Comm. Cruq.* p. 691. Cf. *Gellius* XVII, 21.

3 Vid. sup. p. 126.

4 Sup p. 60.

5 *Auson. Lectt.* II, 4 p. 136. Cf. sup. p. 129.

hos brevi perire cuperent. Alterum libri argumentum non abhorret a libri quarti argumento. Prout enim eo de divitibus sermo fuerat, atque reprehensa illorum luxuria, ita hoc de vita ac victu rusticorum egit, qui non minus conditionis suae modum luxuriâ excedebant, pravoque divitum exemplo corrumpebantur. Derisit igitur rusticam quandam coenam, copiose ut videtur et immodicis sumtibus paratam, cujus multas herbas sive fercula nominavit [1]. Neque temere conjicimus, in Horatii satira libri primi prima multa inveniri, quae e Lucilio sumserit. Quod indicari praesertim videtur fragmenti secundi versibus:

Nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset,
Hoc sat erat: nunc quum hoc non est, quî credimu' porro
Divitias ullas animum mî explere potisse?

Ad quos audienda, quae Lipsius notavit: « Si, inquit Lucilius, id quod homini satis est posset esse satis, i. e. si eo, quod humanae naturae sustentandae re ipsa sufficit, humana libido esset contenta, hoc jam satis erat, neque amplius aliquid quaerendum esset. Cum autem animi cupiditas ita se effudit, ut eos terminos, quos naturae necessitas dedit, egrediatur, ne jam credamus ullam vim divitiarum aut abundantiam ejus effrenatae libidini posse sufficere [2]. » Quo pertinere credo fragmentum illud:

---

1 *Sosip. Char. Inst. Gr.* I p. 77. *Dousa ad Luc. Fr.* p 119².

2 *Varr. Lectt.* I, 14 p. 24.

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est:
Quantum habeas, tanti ipse sies, tantique habearis[1]

quippe Horatius eandem sententiam sic extulit:

Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis,

quae in laudata ejus satira inveniuntur [2]. Illâ autem de insatiabili cupiditate agitur, quod ipsum videtur hujus carminis Luciliani argumentum quoddam fuisse. Quare haud vereor huc referre aliud fragmentum:

Nequam aurum est, aures quod vi vehementius ambit [3].

Hinc satis patet, in avaritiam et ambitum hoc libro graviter invectum esse poëtam. Tandem de adulterio actum et mutuam hujus rei inter conjuges exprobrationem relatam esse, haud inepta suspicio est [4].

Intermissis tribus proximis libris, de quibus hariolari hujus loci non est, pergimus ad nonum [5]. De eo haec Isidorus: « Orthographiam, i. e. scripturam rectam, contra imperitiam librariorum Lucilius poëta primum scripsit [6]. » Maxime memorabile hoc esse testimonium, nemo negabit; nam signum primus sustu-

---

1 *Fr. inc.* 16.

2 vs. 62.

3 *Fr. inc.* 39. Cf. sup. p 142.

4 *Reuvens Collectan. liter.* p. 19.

5 De hoc libro disputari coeptum esse, factus cognovi. Cf. *Schmidt*, *Lucilii Satirarum*, *quae de l. IX supersunt*, *disposita et illustrata* pgg. 42, 4. Ex eo programmatum genere hoc scriptum esse, quod latere mortales debeat, valde doleo. Septemdecim fragmenta eo illustrata sunt; sedecim, quae restabant, num novo programmate tractata sint, nescio.

6 Frustra quaesivi locum. Vid. p. 152 *nota*. Cf. *Voss. de arte gr.* (*Opp.* II p. 216).

lit Lucilius in re gravi et maximi momenti, quae neglecta antea jacuerat. Et praecepisse quidem de orthographia eum accipimus [1]. Memoratur item Quintiliano Lucilii de formando plurali numero praeceptum, quod quia pluribus explicatum esset ab eo versibus, apud eum requiri in nono libro voluit [2]. In eo autem disputatum fuit de singulis literis [3], vocalibus et consonantibus, de diphthongis, de vocabulorum declinatione aliisque, quae huc pertinere censeantur. Hinc existimari poterit de hujus libri copia et amplitudine, quoniam, quae primum tractarentur, his breviter defungi poëta non poterat. Quis autem ejus titulus fuerit, videndum. Nonnullis suspicari placuit, inscriptum a re fuisse *Orthographiam* [4], quorum sententiae certa de causa accedere non possum. Namque haec tradentem accipimus Arnobium: « Unde, quaeso, est vobis (gentilibus) tantum sapientiae traditum? unde acuminis et vivacitatis tantum? vel ex quibus scientiae disciplinis tantum cordis assumere, divinationis tantum potuistis haurire? Quia per casus et tempora declinare verba scitis et nomina? quia voces barbaras soloecismosque vitare? quia numerosum et instructum compositumque sermonem aut ipsi vos nostis efferre, aut incomptus cum fuerit, scire? quia Fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii obsignatum memoriâ continetis? quia, quae sint in litibus constitutiones, quot

---

1 *Terent. Scaur. de orthogr.* p. 2255.

2 *Inst. Orat.* I, 7.

3 *Velius Longus de orthogr.* p. 2214. Cf. 2227.

4 *Lersch* in *Zeitsch. f. Alterth.* 1837, n. 128.

causarum genera, quot dictionum, quid sit genus, quid species, oppositum a contrario quibus rationibus distinguatur? iccirco vos arbitramini scire quid sit falsum, quid verum, quid fieri possit aut non possit, quae imorum summorumque natura sit?[1] » Ex hoc Arnobii loco nonnisi verba illa *quia Fornicem Lucilianum — tenetis* apud Dousam p. 19 exstant. Non attendit aut ille aut quisquam alius, quid ex ceteris, quae praecedunt illa verba, commodi capi possit. Manifestum autem est loci cohaerentiam recte attendentibus, *Fornicem* Lucilii librum fuisse, quo disputaretur de verbis et nominibus per casus et tempora declinandis, de vocibus barbaris et soloecismis vitandis, de recte componendo sermone, et incompositi vitiis detegendis. Quum igitur constet, nono libro de vocabulorum declinatione praeceptum fuisse, haud a vero aberrabimus, existimantes, cetera, quae hîc memorata videmus, eundem sibi hunc locum vindicare. Quapropter nonnulla fragmenta huc referri oportebit. Velut quod *centum genera soloecismorum* dixisse traditur, quos omnes vitare potius quam sequi debet, qui regulam recte loquendi studeat tenere[2]. Praeterea huc referri posse videtur illud: « Quae verba magis sonantia sint, ea potius collocemus, quae Lucilius *εὔφωνα* appellat, i. e. suavivocalia[3]. » Etiam de schematibus monuisse fertur: « Ut ait Lucilius, *bonum schema est*,

---

1 *Adv. Gentt.* II p. 447.

2 *Isid. Orig.* I, 32.

3 *Lucil. fr. inc.* 158. Recte pro vocalia s. quasi vocalia emendavit suavivocalia *Barth Adv.* XIII, 2.

quoties sensus variatur iterativone verborum. Et in fine positus, sequentis sit exordium, qui appellatur climax [1]. » Neque alio pertinent illa: « Sciendum hoc, esse vitiosum monosyllabo finiri versum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia. Ut *ridiculus mus.* Gratiores enim versus isti sunt secundum Lucilium [2]. » Jam ipse titulus libri unde originem duxerit, non facile dicas. Quem cum compositum viderem cum Pomponii Marsya, quid de hoc animadversionis afferretur, cupide quaesivi. Videbam errare, qui ab Arnobio vanam et perniciosam perstringi putarent hominum doctrinam, qui pro bonis et honestis res futiles et turpes curarent: nullus enim apud Arnobium nisi de rebus futilibus et vanis sermo. Neque placet, quod Marsyam Pomponii cum Fornice Lucilii conjunxerit Arnobius, concludi inde, utriusque carminis argumentum circa res obscoenas versatum esse [3]. Quamvis vero hoc refutetur Arnobii verbis, tamen nihil probabilius afferre aut suspicari ausim. Tantum vero constat, etiam alio in argumento versatum esse poëtam. Ad verba enim Horatii *sic me servavit Apollo*, haec interpres. « Hoc de sensu Homerico sumsit: *τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων.* Quem et Lucilius in nono satyrarum repraesentavit, sic dicens: *ut dis-*

---

1 *Serv. ad Virg. Aen.* IX, 573. *Luc. fr. inc.* 7 p. 90.

2 *Id. eod. ad.* VIII, 83.

3 *Munk de fabb. Atell.* p. 86. *Sub Marsya*, ait, *nescio an potius statua illa, Romae exstructa, ad quam meretrices convenire, quamque coronis ornare solebant, quam tibicen ille, Apollinis aemulus, intelligi debeat.*

crepat hac quam rapuit Apollo fiat ergo. Significat sic liberatum se ac recreatum, dum illum molestum adversarius suus rapit, Apollinem imitatus[1]. » Horatius satirâ, ad cujus extrema verba haec notantur, festive narrat, quemadmodum ambulanti sibi in Appia via supervenisset garrulus homo, cujus ineptiis non prius liberatus esset, quam illum petitor abduxisset. Simile quid Lucilio obvenisse aliquando, et rem versibus eum descripsisse, qui Horatio exemplo essent, apertum est. Quis ille molestus fuerit, conjiciendo me assecutum esse non affirmo. Conjeci tamen, fuisse *frumentarium*, qui noni libri fragmento vicesimo secundo memoratur modium secum atque rutellum attulisse. Quae suspicio haud aliena videbitur reputantibus, Lucilium publicanum fuisse, cui cum hoc hominum genere frequens res et consuetudo esset. Fortasse hic eum, sive domi sive foris sive ad Fornicem Fabianum in via sacra prope forum — exstructum 645 (108) — nescio quid nugarum meditantem, interpellavit et ad vitae negotia et muneris curas intempestive revocavit, mox de lite, cui implicitus erat, certiorem factum, quomodo se expediret, percontatus est, et causae defensiunculam, quam meditatus esset, subjecit. Cumque de verborum scriptura anxie quaesivisset, quippe linguae imperitus, Lucilius: « — atque *accurrere* scribas, Dne an C non est quod quaeras atque labores. — Labora discere, ne te res ipsa,

---

4 *Auctar.* post *Comm Cruq. ad Hor. Sat.* I, 9, 78. Versûs Luciliani misere corrupti finis sic emaculandus: *vi a tergo.*

ac ratio ipsa refellat [1]. » Quo significabat, ejus non esse in verbis haerere, interesse vero vierde ac discere quod frumentario unice expediat scire ne decipiatur. Puto equidem cum hac narratione ea, quae orthographiam spectarent, arcte cohaesisse, ita ut narrationi ipsi adjungerentur quae frumentarios nihil attineret novisse, doctos vero et cultiores fugere non deberent. Sic quidem facile assequimur, facetissima haec Lucilii fuisse, quae maxime jejuna esse debuissent, si unice ad verba et literas otio lectorum abusus esset. Indicat autem Arnobius, magnopere placuisse aequalibus suis Fornicem Lucilianum, quem obsignatum memoriâ haberent. Ceterum hoc libro, quod tertio instituerat, emendationem antiquorum poëtarum Latinorum continuavit.

Libri decimi quod argumentum fuerit, vitam Persii aperire existimo. Juvenis enim hic lecto eo libro vehementer satyras componere studuisse fertur. Quapropter ejus libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poëtarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit [2]. Ut admirabilem hinc intelligimus Lucilianae poëseos vim fuisse, qua exarserit subito ad scribendum Persius, ita haud leviter suspicamur, peculiares quasdam virtutes et singularem libri decimi praestantiam fuisse. Quid vero illud esset, quo tanquam afflatus silentium rumperet ille, haud latet. Quippe satis indicant postrema verba, exorsum esse Lucilium a sui ipsius repro-

---

1 *Fr.* IX, 4, 23. Facit huc Nonii explicatio : *Discere est ignotam rem meditando assequi.*

2 Sup. p 125

batione, quo audacior deinceps esset aliorum reprehensor [1]. Itaque perquam verisimile fit, illum vitam suam quaeque per illam sive bene sive secus instituerat aut ipsi evenerant, hac potissimum operis parte fide narravisse. Verba enim veteris interpretis sunt: « Dicitur Lucilius vitam suam scripsisse et non sibi pepercisse [2]. » Legitur in codice Franequerano [3] *scripsisse in opere suo et* — quod ipsum Horatii verba declarant [4]. Neque tamen putandum, uno hoc libro de se rebusque suis egisse poëtam; nam in aliis quoque saepissime ad se rediisse, probat Porphyrio ad Horatii locum: « Ita fit, ut Lucilii vita tam clara sit per libros, quasi in tabula ostenderetur [5]. » Non igitur scripsisset *per libros*, si decimo de suis rebus absolvisset. Hanc autem de semetipso, quoties res admonebat ac suadebat, mentionem Lucilius ex Anacreonte traxit et Alcaeo Sapphoque, Graecis lyricis, quos ait Aristoxenes libris propriis amicorum loco usos fuisse [6]. In codice Franequerano est: — *Anacreonte Graeco contraxit et Alcaeo liricis — Aristoxenus.* Acro: *Anacreonte Graeco traxit et Alcaeo lyricis: quos ait Aristophanes.* Porphyrio addit: *Ille enim* (Aristoteles) *in suis scriptis ostendit, Sapphonem et Alcaeum volumina sua*

---

1 Cf. sup. p. 91, 99.

2 Eod. p. 76.

3 De hoc cod. vid. *Suring. Scholl. vett.* III p. 119 *sqq.*

4 Sup. p. 7, 66.

5 Pariter *Comm. Cruq.* p 408a. « Ad hunc modum Lucilii senis vita tam clara est *in suis libris*, quasi esset depicta in aliqua tabula. »

6 *Comm. Cruq. l. l. ad Hor. Sat.* II, 1, 30.

loco sodalium habuisse. Accipimus, in magna editione Basileensi pro *Aristophanes Aristoxenes* apud Acronem legi. Facile intelligitur, Porphyrionis locum corruptum esse et celebratum Aristotelis nomen pro ignotiore Aristoxenis, qui ejus auditor fuit, scriptum. Aristoxenes autem num fuerit Tarentinus philosophus, qui Aristoxenus appellari solet, quaeri potest. Nec video quid obstet, quum in scriptis Aristoxeni memorentur philosophorum vitae, in quibus scribendis opportune mentionem facere lyricorum poëtarum potuit[1]. Sed e fragmentis eorum cognosci non potest, qua ratione hoc illi peregerint. Ipsa tamen res frequentissimam imitationem habuit et apud Romanos ipsa Lucilii aetate fuere qui experirentur. Primus memoratur instituisse P. Rutilius Rufus, quem commilitonem poëtae in obsidenda Numantia cognovimus[2]. Scripsit ille vitam suam. Idem M. Aemilius Scaurus suscepit, cujus tres ad L. Fufidium libri de vita acta memorantur[3]. Tertius suppari aetate M. Terentius Varro traditur de vita sua librum fecisse[4]. Ut vero maxime memorabile est, Lucilium et Rutilium suam

---

1 Cf. *Mahne Dissert. de Aristoxeno.* Amst. 1793 et in *Thes. Crit. nov.* t. I. Lips. 1802.

2 Sup. p. 12, 16, 39.

3 Scauro et Rutilio graves inimicitiae fuerunt teste *Cic. Brut.* 29, 113. « Cum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitûs designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in judicium vocavit. » Itaque videtur uterque vitam suam actam scripsisse, ut se criminibus purgarent. Cf. *Tac. Agric. c.* 1.

4 *Sosip. Char. Gramm. Inst.* I.

quemque vitam conscripsisse, ita ad confirmandum illud, quod e Persii vita suspicati sumus, Lucilium decimo potissimum libro de se mentionem injecisse, valent Horatii versus:

Nil comis tragici mutat Lucilius Accî?
Non ridet versus Enni gravitate minores
Cum de se loquitur non ut majore reprensis? [1]

Hic in primis attendendum *loquitur*, quod praesenti indicativi positum significat, Lucilium, quo loco ceterorum poëtarum severum se judicem jactaret, eodem ipsum se illis verecunde postposuisse. Usus est prologo Persius, suas ut poëticas laudes detrectaret: deinde primâ satirâ carpsit vana et futilia hominum studia. Pariter a sui mentione exorsus Lucilius digressus videtur ad veteres poëtas Latinos censendos, cujus rei initium fecerat libro tertio et nono. In quibus potissimum poëtis castigandis versatus sit, cognoscere licet cum ex Horatii loco, qui Accium et Ennium memorat, tum ex Gellii testimonio, ubi praeter illos Caecilius, Terentius (Afranius) et Pacuvius indicantur [2]. Animadvertendum est — modo fides habenda sit Dousae, Isidori testimonium mihi ignotum exhibenti [3] — diversum libri noni et decimi argumentum fuisse. Nam ut illic praecipue imperitiam librariorum i. e. eorum qui poëtarum libros descripserunt, refutavit et veram scripturam constituit, nec nisi oblata opportunitate poëtas petivit, ita decimo in obtrectandis ipsis poëtarum carminibus versatus dicitur. Quod autem supra monuimus de co-

---

1 Sup. p. 90. Cf *Madvig. Opusc.* p. 106
2 Eod. p. 18, 2.
3 Eod. p 152, 172.

mitate et urbanitate in Lucilio conspicua vereque ab Horatio laudata [1], hîc exemplo confirmabimus. Legitur apud Hieronymum: «Sed et poëta sublimis (Virgilius), non *Homerus alter*, ut Lucilius de Ennio suspicatur, sed primus Homerus apud Latinos — [2]» Qui locus, praetermissus a Dousa, probat, egregie de Ennio sensisse eum, neque ullâ aut invidiâ aut irâ ductum carpsisse illum. Praeterea, qui idem respexit, Horatium audiamus:

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt — [3].

Patet hinc, in *criticis* ab Horatio Lucilium poni, quoniam critica ratione Ennii carmina explorabat et eorum se judicem ferebat. De Ennio illud est Servii ad Virgilii verba *horret ager:* «Horret, terribilis est, et est versus Ennianus, vituperatus a Lucilio, dicente per irrisionem eum debuisse dicere: *horret et alget;* unde Horatius de Lucilio: *non ridet*, dicens, *versus Enni gravitate minores* [4].» Itaque quum acerbe quaedam *notaret*, tum etiam idem *mutandi* sibi jus sumsit in aliis, quo non minus in sui operis existimatione uti solebat [5]. Atque in Caecilio et Pacuvio plura corrigenda habuerit, qui mali a Cicerone dicti sunt auctores Latinitatis [6]. Contortum aliquod Pacuvianum exordium alio libro

---

1 p. 90.
2 *Comm. in Micheam* c. 7. (*Opp.* V, 167).
3 *Epp.* II, 1, 53.
4 *Ad Aen.* XI, 602.
5 Sup. p. 82, 2.
6 *Ad Att.* VII, 3, 10 *Brut.* 74, 258.

memoratum videmus[1]. Visus porro est Pacuvianam magniloquentiam exagitasse versu: *lascivire pecus jussi rostrique repandum*, quia Pacuvius *Nerei repandirostrum*, *incurvicervicum pecus* dixerat[2]. Terentii Chremetem et Plauti Daemenetum ab eo memoratos fuisse, Lipsius conjecit e versu: *In medium Chremes, in summum ire Daemenetus*[3]. Ut enim in Asinaria Daemenetus senex filium in perniciem misit, ita Terentianus Chremes filium jussit modum servare. Superest Ciceronis locus, ubi Attilii mentio sit: « A quibus tam dissentio, ut quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem: de quo Licinius: *ferreum scriptorem*[4]. » Lambinus *Lucilius* exhibet, facileque videri possit sic de Attilio Lucilius pronunciasse. Praestat tamen cum Madvigio *Porcium Licinum* intelligere, qui de poëtis Romanis scripsit[5]. Sed non tantum Latinos poëtas tetigit, verum ne Graecis quidem pepercit Lucilius. Sic videri potest in Homero, cujus

---

1 *Fragm* XXIX, 63. Cf. *Stieglitz de Pacuv. Duloreste* p. 44.

2 *Fragm.* V, 18. Cf. *Index Praell. Bonn.* 1823, ubi Lucilii fr. XXIX, 67, quod ex *Homero* expressum videri posset, ex *Pacuvii Chryse* recte depromtum videbis. Ita *di monerint meliora*, quod apud utrumque invenias ex Nonio v. *moneris* et *averruncare*, etiam ex *Pacuviano Chryse* est. Incertum tamen, num culpare voluerit Lucilius. Cf. *Fr.* XXVI, 71. *Dousa* p. 134.

3 *Fragm.* XXVIII, 41. *Lips. Epist. Quaestt.* III, 14.

4 *De Fin.* I, 2, 5.

5 *Orell. Onom. Cic.* p. 493. C. Licinium Imbricem significari suspicatus est *Bothe Poëtt. Scen. Rom.* II p. 39.

universe opera laude prosequebatur, enthymemata quaedam carpsisse [1]. Certius est, ea libertate eum usum fuisse in Euripide notando, ac, teste Tullio Tirone, hoc Graeco poëtae Latinus poëta vitio dedit, quod, cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem (Cresphontem) diceret, quod ipse ante de nece ejus consilium cepisset, Meropa, fratris uxor, hisce ad eum verbis eluserit:

Εἰ γὰρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φῆς, κτείνειν πόσις,
Χρὴ καὶ σὲ μέλλειν, ὡς χρόνος δῆθεν παρῆν [2].

« At hoc enim — addit Tiro — plane stultitiae plenum est, eo consilio atque ea fini facere velle aliquid, uti nunquam id facias, quod velis [3]. » Apparet haec esse desumta ex Euripidis tragoedia Cresphonte. Credibile autem est, oblata occasione *Euripideam* sententiam a Lucilio reprehensam esse, tum quum datâ operâ *Ennianam* cognomine tragoediam severo judicio persequeretur. Quam ut expressam ex Graeca existimari convenit, ita fieri potuit, ut ea quidem Meropae verba vertendo emendaverit Ennius, quo fugit satirici poëtae impetum, quem excepit tragicus Graecus.

Libri decimi sexti titulum cognovimus fuisse Collyram, a puellae nomine ductum, quam poëta amavit. Quin, argumentum maximam partem in ejus canendis laudibus versatum esse, etsi fragmenta non

---

1 *Fragm.* IX, 16.

2 *Te perditurus jamjam si conjux foret,*
Et te fas jamjam — quippe abunde erat morae.

3 *Gellius* VII, 3, 28. Cf. *A. G. Welcker über die Gr. Trag.* (*Rhein. Mus.* 1839 *Suppl.* II, 2 p. 837).

testentur, tamen constat Horatiani interpretis testimonio. « Liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur eo quod de Collyra amica sua scriptus sit [1]. » Hunc autem librum Fundii nomini inscripsit [2]. Videtur hic villicus fuisse, quem carminis initio ita compellavit:

Fundi, delectet te virtus, villicu' paullo
Strenuior si evaseris [3].

Est Horatii ad villicum suum epistola, quem ob studiorum inconstantiam castigat. Fortasse expressa est ex Lucilio, pariter, ut videmus, villicum ob segnitiem increpante. Nacti novum fragmentum sumus, cujus partem etiam Horatius usurpavit in ea ipsa epistola. Lucilii versus est:

— per inhospita tesqua vagantem
Rerum animo sequitur captarum gratia major [4].

Qui quamvis ad sextum decimum librum pertinere videatur, tamen ad librum secundum relatum videmus. Sed monere Ausonius videtur, ut existimemus, Lucilium fecisse villae aut villulae suae alicubi mentionem [5]. Itaque verisimile plane est, hoc libro id factum, et reprehenso Fundio laudatâque villâ in Collyra celebranda porro versatum poëtam fuisse. Praeter illam videtur aliam amicam habuisse, cui *Cretea* nomen [6].

---

1 *Auctar. post Comm. Cruq.* p. 689b *ad Hor. Od.* I, 22. Cf. *Disp. mea de L. Aelio Stil.* p. 38.

2 Sup. p. 45.

3 *Prisc.* III, 2. *Fragm.* XVI, 5. Krehl evaseris e codd. exhibuit. Videtur autem *delectet pro delectat* scribendum.

4 Cf. *Barth Adv.* XV, 3.

5 Cf. supra p. 129.

6 *Fr. inc.* 26. Cf. *Varg. Quaestt. Lucil.* p. 53.

De ceteris libris nullo fere certo veterum testimonio constat, quae argumenta fuerint. Libro vigesimo quinto praemonitum fuisse, parcimoniâ utendum esse neque gulae indulgendum ventremque coarctandum, docemur a Festo [1], ejus libri locum explicante. Duodetrigesimo libro sermonem institutum fuisse ad uriore sene ac patre de indulgentiore patruo probabile est [2]. De P. Gallonio fure ac guloso homine dictum ibi esse patet [3]. Undetrigesimo vel trigesimo visus est poëta totam historiam narrasse de Q. Fabii Maximi Cunctatoris prudentia et Minucii Rufi magistri equitum temeritate: quin inseruisse narrationi orationes ab utroque habitas [4]. Quod quamvis negari nequeat multo acumine excogitatum et concinnatum esse, tamen fatendum, nimis ingenio Merulam indulsisse. Neque enim satirici poëtae esse poterat, poëtae epici partes suscipere. Libri trigesimi argumentum versatum magnam partem videtur in maritorum depingendis miseriis, qui uxorum illecebris ita capti tenerentur, ut sui juris esse desinerent, qui legibus coërcerentur res suas separatas habere et mundum muliebrem et supellectilem domesticam affatim suppeditare, et terra marique vel cum capitis periculo rem facere. Porro fallacias, quibus femineum ingenium bene cautum maritum eluderet, repugnantiam hominum, quae bellua multorum capitum videretur, rixas et jurgia gravissi-

---

1 v. gallam bibere.

2 *And. Schotti Obss.* II, 21.

3 *Merula ad Ennii fragm.* p. 253.

4 *Id. eod.* p. 454—463.

ma, quae mutuam benivolentiam et concordiam conjugum tollerent, etiam adulterii flagitium expositum fuisse suspicamur [1].

Itaque ex triginta libris non nisi *tres* librorum titulos cognovimus. Fuisse etiam liber dicitur, qui bolis inscriberetur, quod ex Isidoro patere existimavit Scaliger: « Est igitur, ait, catapirates funiculus cum plumbo deligato, qui καταπειρατὴρ Graece dicitur βολὶς, a quo et Lucilius fabulam suam, unde versus istos attulit Isidorus, *bolidem* inscripserat [2]. » Unde hanc opinionem hauserit vir magnus, non video. Ipsis quidem Lucilii verbis continetur bolidis descriptio, verum nihil est unde de fabulae titulo existimes. Praeterea Varges suspicatus est, totum librum vel satiram quandam Panaetium inscriptam fuisse, e Noniano Lucilii fragmento corrupto conjecturâ ductâ [3]. Hae quidem suspiciones cumulari possint. Simili jure possit alicui videri titulus libri Luciliani fuisse Torquatus, haec Plinii verba consideranti: « Togas rasas Phryxianasque Divi Augusti novissimis temporibus coepisse scribit Fenestella. Crebrae papaveratae antiquiorem habent originem, jam sub Lucilio poëta in Torquato notatae [4]. » Quum vero haud inepte viri docti opinati sint, T. Manlii Torquati ejus, qui fortiter cum Gallo

---

1 Cf. J. *Gulielm. Verisim.* II, 1 (*Gruter. thes. crit.* III p. 276). *Auctar. post Comm. Cruq.* p. 692b.

2 *Scalig. ad Festum* v. rodus.

3 *Quaestt. Lucil.* p. 37, 5.

4 *Hist. Nat.* VIII, 74 (43). *Lucil. fr. inc.* 167.

congressus cognomen meruit, libro undecimo mentionem factam esse [1], festive notavit ficto nomine papaveratae togae — μηκωνῖτις Graece dicitur — mollitiem ejus, qui hac veste primus prodiisset indutus, Torquati. Utut est, videamus potius, quae aevi sui vitia praecipue carpserit, quae hominum genera insectatus sit Lucilius.

Ut universe virtuti ejusque studiosis aequum fuisse vidimus, ita in commendanda pietate ac religione Deorum praesertim versatus est. Hac, ajebat, si principes civitatis viri stetissent, hanc si venerati fuissent et singulari honore coluissent, non verendum fuisset, ne impuritate ac perjuriis vitam inquinassent ac rempublicam labefecissent. Jacentem igitur pietatem ut excitaret in animis, operae pretium se facturum existimavit, si, quae impedimento essent ejus virtutis studio et exercitio, atque impietati blande lenocinarentur, tollere penitus et radicitus exstirpare conaretur. Obstabant autem gravissime varia superstitionum genera, quibus mentes praestrictae a vero Deorum cultu, ab utili honestaque vita abalienabantur [2]. Horum ineptias deridebat, sive in precum formulis tralatitiis acquiescerent earumque religione contineri pietatem existimarent [3], sive votis ea sibi a Diis apprecarentur,

---

1 *Fragm.* XI, 7. Cff. *J. Gulielm. Veris.* II, 7. *Salmas. Exerc. Plin.* Cf. p. 793.

2 Sup. p. 75. *Ignavam superstitionem* apud Numantiam in castris cognoverat. Cf. p. 15.

3 Sup. p. 165.

quae, an nactis essent profutura, lateret ipsos, sive licere sibi arbitrarentur, ut abstersis, quas pudor excitasset, lacrimis, deos thure precati et consilium quod agitarent fassi, impune luparentur [1]. Atque in illo quidem vano votorum genere exagitando ut ipse Socratem secutus est, eadem cavere jubentem [2], ita exemplo videtur fuisse Persio et Juvenali, quorum ille hoc argumentum satira secunda, hic decima tractavit. Eorum quoque, qui simulacra deorum deos ipsos esse putabant, stultitiam deridens, infantibus eos comparavit, qui imagines mutas et inanimatas vivere et esse homines sibi persuasum haberent [3]. Quam superstitionem Plato opere de legibus similiter impugnare studuerat.

In nullo autem vitio perstringendo tam vehemens videtur fuisse et acerbus, quam in avaritiae. Ea autem ut Lucilii aetate grassari Romae coepit [4], ita vigebat in provinciis. Quibus earum administratio credebatur, lucri faciendi spe proficiscebantur, ac, nummis postposita virtute ac fide, qui saepe pauperes divitem provinciam obierant, paupere divites decedebant. Praesertim haec ratio publicanis placebat, quorum erat exhaurire provincialium fortunas, quibus primum rem suam, deinde aerarium reipublicae locupletarent. Quum ipse publicanus esset, artes istas

---

1 *Fragm.* V, 8. Cff. *Virg. Intt.* ed. *Maio* p. 58. Quomodo haec Maius Lucinio cuidam tribuerit, non video.

2 *Xenoph. Mem.* l. 1, 9.

3 *Lact. Inst. Div* I, 22, 15. *Epit. ad Pentad.* 22, 3.

4 Sup. p. 74.

omnes, quibus socii utebantur, praesenti cognoscere et inspicere ei licuit. Exsecratum autem scelestam cupiditatem, quae furti aut peculatus simillima erat et haberi debebat, verisimile est, eum non modo ipsum abstinentissimum fuisse, sed etiam socios continuisse a nefario quaestu. Quibus eam virtutis constantiam insidiis inimicitiisque socii publicani labefactare studuerint, qualia moliti sint, ut sibi impune rapere ac ferre liceret, intelligitur, neque aliud videtur ipse indicare voluisse, ubi quendam haec dicentem inducit: «Publicanus ut Asiae fiam scripturarius pro Lucilio, id ego nolo et uno hoc non muto omnia [1].» Eosdem igitur, quos exemplo et libertate dicendi revocare studuisset, quin satirico felle perstrinxerit in opere suo, dubium non est. Sed quum ipsi, qui provincias sortiti obibant, quaestui faciendo operam darent, tum moris iis erat eodem secum amicos ex Urbe adducere, quibus ut bene cupiebant ita provincialium sumtibus bene faciebant et contubernales ac domesticos convictores habebant. Hunc amicorum comitatum *praetoris* s. *praetoriam cohortem* eosque, qui cum praesidibus ad salarium ibant, *mercede inventas legiones* appellabat Lucilius [2]. Haud dubie eosdem volucribus rapacibus et voracissimis comparans *agrarios mergos* et *vulturios* dixit [3]. Quae

---

1 Cf sup. p. 57.

2 *Fr. inc.* 3, 63. Mansit nomen, moneute *Dousa ad Luc.* p. 104. Cf. 112.

3 *Jul. Capitol. vit. Pertin. c.* 9 hunc, privatum adhuc, quia, oppressis foenore agri possessoribus, latius suos fines prorogarat, ex versu Luciliano propter avaritiae suspicionem *agrarium mer-*

postrema vocabula iterum Claudii Rutilii mentionem facere me monent. Haec enim apud illum de Decio:

Non olim sacri justissimus arbiter auri
Circumsistentes reppulit Harpyias?
Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis,
Quae pede glutineo, quod tetigere, trahunt,
Quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea coecum;
Inter custodes publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareïa praeda fefellit,
Totque simul manibus restitit una manus[1].

Harpyias hic nominatos videmus praefectos, qui nefariis fraudibus fiscum publicum spoliabant. Ita Juvenalis *rapacem Celaeno* praesidis cohortem appellavit[2]. *Glutineo pede trahere* dicitur, ut Lucilio *viscatis manibus leget omnia*[3]. *Briarëia praeda*, quae non latuit Lucillum, sunt ingentes istae divitiae, tanquam a Briareo, centimano Gigante, undique a provinciarum praesidibus conflatae. Totus igitur locus apertissime indicat, Lucilium hic *Lucillum* a Claudio dictum, quod fecit metri fortasse causâ, productâ quippe secundâ veri nominis syllabâ. Optime autem inde non solum, quanta vi rapacitatem istam late patentem insectatus sit, perspicitur, sed etiam Ammiani Mar-

---

gum appellatum esse testatur. Manifeste igitur a Lucilio de publicanis decumanis facete usurpatum est, quippe rapacibus et legum severitatem astute subterfugientibus. *Sosip. Char. Inst. Gr.* I p. 75. Cf. p. 120, ubi Ciceronis in Pisonem verba laudat: *vulturius illius provinciae.* Cf. *Dousa ad Luc. fr.* p. 107.

1 *Itiner. vs.* 607 *sqq.* Cf. *Werns d. l. l.* (sup. p. 130, 136) t. V, p. 182 sqq.

2 *Sat.* VIII, 130.

3 *Fragm.* XXVIII, 5.

cellini locus illustratur. Hujus enim haec verba sunt. « Venere tamen aliqui jussu Imperatoris, administrationum diversarum specie, eundem ne tentaret aliquid occulte custodituri. Inter quos erat Leontius, postea Urbi praefectus. ut quaestor et Lucillianus quasi domesticorum comes et scutariorum tribunus, nomine Bainobandes [1]. » Ut igitur Decius *Lucilii nobile pignus* apud Rutilium audit, quod fidus ac probus provinciae praefectus ac stator fuit, ita Leontius, eadem fide in munere fungendo versatus, qua i *Lucilianus domesticorum comes* dici poterat.

Sed ut alienis opibus inhiantes et majora semper concupiscentes graviter perstringebat, *rapinatores* vocans *tagacibus ac viscosis manibus, quique tristes nummos inuncarent*, ut prodigos petebat [2], ut ex avaritia ortum ambitum et largitionum pestem notabat [3], ut, Hesiodum imitatus in simili loco versatum, aquilae ut videtur et accipitris fabulâ fabulam illius de accipitre et luscinia continuavit his versibus :

Assequitur necopinantem; in caput insilit; ipsum
Commanducatur totum complexa, comestque [4],

ita etiam divitiarum tenaces acerbe lusit :

---

1 *Rer. gest.* XIV, 11 p. 45 (10 p. 34 Bip. Cf. *Dousa ad Lucil.* p 101. Supra p 124 4.

2 *Fragm.* II, 12, XXVIII, 5, XXX, 89, XV, 17. VI, 9. Hinc salse dictum : *Non tango, quod avarus homo est, quodque improbu', mitto* fr. inc. 57. Negat se *tangere* eum audere, ne ab eo *capiatur*, omnium appetente. Proprie vero *non tango* et *mitto* hic συνώνυμα sunt.

3 Sup. p. 172.

4 *Fragm.* IV, 15. Cf. *Hesiod. Opp. et dies vs.* 204 *sqq.*

Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus,
Bulgam et quidquid habet nummorum, secum habet ipse,
Cum bulga coenat, dormit, lavit: omnis in una
Spes hominis bulga: hac devincta est cetera vita [1].

Diligentissime porro versatus videtur Lucilius in luxuriae reprehensione, quae, parta ingentium victoriarum successione [2], publica fuerat ante quam privata esse coepisset; sic autem brevi invaluit, ut non jam urbanis duntaxat propria esset, sed rus commearet, patribus ac populo communis fieret. Quae ut late dominabatur, ita praesertim in conviviorum lauto magnificoque apparatu conspicua erat. Jamdudum excitaverat illa legum sumtuariarum severitatem, idemque Titius, quem exponentem de moribus, quibus tum Romae plerique vivebant, audivimus, Fanniae sumtuariae suadendae necessitatem perspiciebat. Quodsi in Lucilii fragmentis illud legimus: *Fannî centussis misellos* et *legem vitemu' Licinî* [3], sponte intelligitur, haec esse luxuriosorum verba, qui illis nollent legibus teneri, quae licentiam impedirent, venitque nobis Duronii tribuni plebis in mentem, qua ille impudentia Quirites cohortatus sit, ut abrogarent istud horridae vetustatis rubigine obsitum imperium [4]. Huc igitur cum alia Lucilii pertinent, veluti:

---

1 *Fragm.* VI, 1.

2 Sup. p. 71 sqq.

3 *Gell.* II, 24, 10. *Lucil. fr. inc.* 133, 134 Cf. 46. Pertinent haec fragmenta fortasse ad l. IV vel XXV.

4 Sup. p. 23.

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres[1], tum pluribus disputavit libro quarto et vigesimo quinto. Praeterea impudicitiam foedamque libidinem moresque universe dissolutos, quales Titius descripsit, multo sale ac libertate insectatum esse, loca permulta satis superque docent.

Neque vero philosophis abstinuit. Amplum hi sane satirico poëtae jocandi irridendique locum praebebant, quippe quos in extrema omnia excurrisse aut ruisse, placitisque suis mira et incredibilia sanxisse constat. Itaque interpres: «Stoici existimant perfectae sapientiae virum omnia habere; in quo et Lucilius versatus sic ait:

— *nondum etiam haec omnia habebit,*
Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur.

Quae tamen poëta non simpliciter, sed per derisum Stoicorum dicit[2]. » Huc etiam pertinent:

Penula, si quaeris, canteriu', servu', segestre
Utilior mihi quam sapiens —[3].

Palam est, ludibrio eum habuisse Stoicorum doctrinam, qui una virtute contenti superbirent. Eosdem petere videtur hoc versu:

Quae pietas? monogrammi quinque adducti pietatem vocant[4].

---

1 *Fragm.* IV, 9. XIV, 9. 10, *inc.* 85. Diligentissimus etiam videtur fuisse in notando mulierum luxu et ostentatione. Cf. XV, 5.

2 *Auct. post Comm. Cruq.* p. 690 *ad Hor. Sat.* I, 3, 123. *Lucil. fr. inc.* 23. Cff. *Varro Sit.* «*Longe fugit qui suos fugit*»: *Solus rex, solus rhetor, solus formosus, fortis, aequus, vel ad aedilitium modum purus putus. Lucian.* βίων πράττειν μόνος οὗτος σοφὸς, μόνος καλὸς, μόνος δίκαιος, ἀνδρεῖος, βασιλεὺς, ῥήτωρ, πλούσιος, νομοθέτης καὶ τἄλλα ἐστίν.

3 *Fragm.* XXV, 7. Cf. XXVII, 19 Sup. p. 91.

4 *Eod.* XXVII, 19. Cf. *Turn. Adv.* XXVIII, 9.

Monogrammos quippe philosophos macros et decolores dicit, qui de pietate jejuna quaedam et vana commentarentur ac disputarent. Sunt autem, qui opinentur, eum his Socratem παιδεραστίας accusasse:

Si Socrates in amore et in adolescentulis
Meliore paullo facie signat, nilque amat.
Et amabat omnes, nam discrimen non facit
Neque signat linea alba — [1].

Lipsius legendum censens *sic Socratis amores in adolescentulis paullo meliore facie signat, nihil quod amaret* addit: « Socratem scimus male audisse propter παιδικά. Eam suspicionem Lucilius ab eo confirmari ait, quod Socrates mulieres non amaret [2].» Sed Turnebus locum desumtum ex Platonis Charmide p. 154 B putavit [3]. In cujus dialogi initio Socrates: Ἐμοὶ μὲν οὖν, ὦ ἑταῖρε, οὐδὲν σταθμητὸν· ἀτεχνῶς γὰρ λευκὴ στάθμη εἰμὶ πρὸς τοὺς καλούς· σχεδόν γάρ τοι μοὶ πάντες οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ καλοὶ φαίνονται. Non igitur necesse est, ut cum Lipsio statuamus, odiosi quid

---

1 Ita hos senarios ex l. XXIX, 5. 6 restitutos se reperisse in margine Dousianae editionis, quae Fr. Petiti fuit, mecum humanissime communicavit amicus meus Damiens, Vesuntiani Lycei professor. Duo etiam fragmenta (p. 42, 43 laudata), ita correcta invenit, ut priore *miles hibernans*, posteriore sic legeretur:

— *Dum miles hibernat ac meret*
Errat tres ex aetate quasi annos —

Adscriptum utrique loco: *Diverb. ex Heaut. Ter.* p. 21. (?)

2 *Quaestt. Epistol.* IV, 19 p. 302.

3 *Adv.* XXIX, 27. Cf. *Dousa* p. 156. *Salmas. de homon. Hyl. Iatr.* p. 95a legendum esse monet: *nam ut discrimen non facit, qui signat* — quia is, qui discrimen non facit, albâ lineâ signare dicitur. Cf. *Lucil. Fr.* XXVII, 10.

in Socrate a Lucilio notatum esse. Epicuri atomorum et idolorum, Cratetis, Polemonis et Carneadeae πιθανότητος mentionem factam videmus, neque tamen liquet quomodo de iis existimaverit [1]. Sed ut probabile est, ethicae philosophiae principes non intactos ab eo dimissos esse, ita illos quoque non memorare non potuit, qui in physica disciplina elaboraverant. Quod vel illud suadet ut credamus, quod praesentem eum cognovimus sermonibus illis, quos in Numantiae obsidione cum Rutilio Scipio fertur miscuisse [2]; a quibus ducto initio et studio incensus uberiorem sane notitiam illius philosophiae e philosophorum scriptis maturiore aetate hauserit. Pauca huc fragmenta spectant, velut: *Principio physici omnes homines ex anima et corpore constare dicunt* [3]. Varro, « Poëtae, ait, de coelo quod semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam e spumeis Venerem, conjunctio ignis et humoris quam habet vim, significant esse Veneris. A qua vi nateis dicta vita, et illud a Lucilio: *Vis est vita, vides, vis nos facere omnia cogit* [4].» Referri eodem etiam illud posse *Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus*, quibusdam visum est, licet Lucretii nomen apud Varronem legatur [5].

Verum sophistarum genus haud dubie eum potissimum tenuit, quorum tricas et ineptias definitionumque

---

1 *Fragm.* XXVII, 48. XXVIII, 3. I, 8.

2 Sup. p. 40.

3 *Fragm.* XXVI, 17.

4 *Fr. inc.* 32. *Varro de L. L.* V, 63.

5 *De L. L.* V, 17. Cf. *Aus. Popma ad Varr.* II p. 9. Bip.

argutias carpere non omittendum putavit. Huc facit fragmentum:

Queis hunc currere equum nos atque equitare videmus,
His equitat, curritque: oculis equitare videmus;
Ergo oculis equitat — [1]

Quid universe sentiret de oratoris munere, quid in eo, qui hoc tanto nomine dignissimus censeretur, requireret, nondum diximus, sed ad hunc locum servavimus. Dicere enim solitus esse fertur, se ita sentire, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non esset omnibus iis artibus. quae sint libero dignae, perpolitus: quibus ipsis si in dicendo quis non utatur, tamen apparere atque exstare, utrum sit earum rudis an didicerit [2]. Quapropter qui haec non assecuti erant studio ac diligentia, qui doctrinae praesidiis facile supersedere se posse putabant, qui malebant verborum ac sententiarum nitore ac pondere compensare quod rebus deesset, qui orationi serviebant, cum servire ipsis oratio deberet ad sensus et cogitationes exprimendas, hos non ferebat, horum tanquam *in vermiculato emblemate structas tesserulas* deridebat [3]. Similiter, quae de animalibus usurpari vocabula solebant, ea his adaptabat, qui verius vociferabantur quam humane loquebantur, ut illud:

Haec (talia), *inquam, rudet ex rostris atque hinnilitabit,*
Concursans uti arenarius clareque quiritans [4].

---

1 *Fr. inc.* 12. Cff. 24, 25. *Gell.* XVIII, 5.

2 *Cic. de Orat.* I, 16, 72.

3 Sup. p. 98, 129, 170. Cf. *Schlosser Op. l.* (*p.* 83, 5) p. 263.

4 *Varro de L. L.* VII, 103. *Nonius v.* quiritare. *Lucil. Fr.* VI, 3.

Quo pertinet non solum fragmentum *quantum hinnitum atque equitatum* [1], verum etiam mutilus Festi locus: « *Ravam* vocem significare ait Verrius raucam et parum liquidam, proxime canum latratum sonantem. Unde etiam causidicus pugnaciter loquens *rabula* appellabatur, ut est apud Lucilium..... [2]. Affectatum etiam nonnullorum oratorum Romanorum morem damnavit, qui malebant alienâ linguâ uti quam Romanâ, prouti Tuscorum, Sabinorum, Praenestinorum linguâ dicentem Vectium [3]. Similiter ridebat, qui, omnino Latinam linguam fastidientes, Graece loquendo sibi placebant [4].

---

1 *Varro eod. Lucil. Fr. inc.* 99.
2 *Fr. inc.* 174.
3 *Quint. Inst. Orat.* I, 5. *Lucil. Fr. inc.* 170.
4 *Cic. de Fin.* I, 3, 9.

DE PERSONIS LUCILIANIS.

Superiore disquisitione quaerere instituimus, quibus potissimum in rebus Lucilii satirae versatae sint, quae argumenta opere suo complexus esse videatur. Eo autem illud adducti consilio fecimus, quod sperabamus fore, ut pateret quodam modo, quid in ipsa rerum, quas eum attigisse constet, varietate praecipue spectaverit satiricus poëta, quaeque aetatis suae vitia maxime cognita ac funesta persecutus sit. Neque omnino nos spes fefellit. Licet enim pleraque nos lateant, nec facile quis pellere omnes tenebras possit, tamen apparuit, quam necesse esset ut Lucilius maximis, quibus laboraret respublica Romana, vitiis resisteret, et malis inde exortis sermonis libertate mederi studeret. Multum tamen abest, ut omnia, quae huc faciant, exploraverimus. Superest altera disquisitionis ipsius pars, qua de personis Lucilianis agendum erit. Inde illustrius patebit, quo ille studio non solum vitiorum fontem, *impietatem*, verum etiam, quae ad labefactandam virtutem omnem et priscam Romanae fidei gloriam subvertendam succrescebant, *avaritiam* et *intemperantiam* tollere cona-

tus fuerit. Fuerunt in Horatii interpretibus, qui hunc locum de personis, quas in satiris exposuit, singulatim explicarent. Num parem Lucilio industriam alii adhibuerint, obscurum est. Quum vero uterque poëta de iisdem nonnunquam hominibus mentionem fecerit, contigit, ut aliquid certe subsidii ex iis commentariis, qui Horatiana carmina spectant, peti possit, unde Lucilius illustretur.

Triste igitur continuo exordium faciendum est a Lupo. Hunc ex eo hominum genere fuisse videmus, qui introrsum turpes honestam ac nitidam speciem prae se ferebant, eaque fallaci pelle tecti credulam multitudinem misere decipiebant. Videatur commentitium ejus nomen esse, quippe quo indoles viri nimis manifeste prodatur. Sed quum Romanis a bestiis cognomina ducere placuerit, nihil mirum, etiam Luporum familiam celebrari. Disputatum vero est, quale plenum ejus nomen fuerit, qui hic memoretur. Vetus interpres P. Rutilium Lupum fuisse diserte tradit, cujus in consulatu collega fuit L. Julius Caesar a. 664 (90)[1]. Parum vero id credibile visum est propterea quod apud Lucilium, qui dudum ante illum annum obiisset, exstare non potuit. Quare placuit in L. Cornelium Lentulum Lupum incidere, qui cos. fuit cum C. Marcio Figulo a. 598 (156) et Ciceroni non indisertus orator habitus[2]. Nihil vero obesse putamus, quominus veterem interpretem se-

---

1 *Comm. Cruq. ad Hor. Sat.* II, 1, 68. Cf. *Pers. Sat.* I, 115.

2 *Torrent. ad Hor. l. l. Cic. Brut.* 20, 79.

quamur. Neque enim impedimento aetas P. Rutilii Lupi erit, cui vitâ defuncto aliquamdiu superfuisse Lucilius censendus est, neque opus erit statuere, a Lucilio extremum vitae tempus, quod consul egit, praetermissum esse. Quippe non satis habuit, deliberantes de Rutilii interitu Deos primo libro inducere, sed instauravit ejus memoriam in operis fine libro undetricesimo, Scio quid difficultatis supersit, quod latuisse interpretes miror. Quum noverimus, quo anno consul fuerit Lupus iste, intelligimus simul tempore belli Numantini natum fuisse, quod contrarium videtur esse Horatii testimonio, quod expressit his versibus:

— Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis: num Laelius aut qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen
Ingenio offensi? aut laeso doluere Metello?
Famosisque Lupo cooperto versibus? —

e quibus satis patere dicas, Scipione et Laelio vivis Lupi ac Metelli mentionem a Lucilio esse factam [1]. Fieri vero non potuit, ut superstite Scipione Rutilium Lupum satiris prosciderit, quippe puerulum sub Scipionis obitum. Facile igitur erroris interpretem argueremus, nisi fidem ei haud temere negandam esse illud indicaret, quod hanc aliasque interpretationes iis videatur debuisse, qui accurate de personis

---

1 Sup. p. 15, 65.

Horatianis scripserunt. Commode autem tolli difficultas potest. Nam quum de Metello verissimum sit quod affirmat, nec Scipionem nec Laelium eo laeso doluisse, alterum de Lupo ad unum Laelium referendum esse existimo. Qui si senex obiit et diu Scipioni superfuit, testis esse potuit, qua vehementia in perstringendo Lupo jam adulto usus sit Lucilius. Id ipsa quoque Horatii verba videntur indicare: nam qui corrigere voluerunt *num Laelius et qui* non cogitarunt, voce *aut* significasse poëtam, Metelli quidem ignominiam neutri displicuisse, uni vero Laelio Lupi notationem. Mature igitur iste verbis factisque pravam indolem prodidisse videtur, ac sine dubio deinde in iis fuit, qui, se in foro jactantes, uni studio et arti dediti essent, ut caute verba darent, pugnarent dolose, blanditiâ certarent, bonos se viros simularent insidiasque facerent [1]. His artificiis ac simulatione paulatim in multorum gratiam se insinuavit, ut summos in republica honores adipisceretur et princeps senatûs fieret. In primis autem ejus *impietas* notatur. Cujus vitii, quo tota ejus vita laboraverat, morti proximus insigne documentum edidit. Nam quum erupisset sociale bellum atque alter consul copias adversus Samnites duceret, ipse cum exercitu in Marsos profectus est. Ante vero quam proelium iniretur, quum auspicia consuli oporteret, accidit ut in extis caput jecinoris non inveniretur. Verum malo ille omine nihil a proeliandi proposito absterritus, spretae religionis et temeritatis morte poenas luit. Etenim

---

1 Sup. p. 74.

quum ille et C. Marius legatus duos mediocri intervallo pontes Liri injecissent, quibus suas singuli copias trajicerent, Vettius Scato, Marsorum dux, qui haec parari intellexerat, non restitit, sed ex insidiis noctu structis Rutilium, primo mane exercitum trajicientem nihilque doli suspicantem, fortiter aggressus ingentem cladem edidit, interfectisque magnam partem militibus reliquos fluvio mersit. Ipsi Rutilio non melior fuit fortuna: qui graviter capite sauciatus, brevi ex vulnere obiit [1]. Accidit id quo tempore Matralia celebrabantur in Matutae honorem. Quam haec vaticinantem finxit Ovidius:

Hanc tibi, quo properas, memorant dixisse, Rutili?
Luce mea Marso consul ab hoste cades.
Exitus accessit verbis: flumenque Tolenum
Purpureo mixtis sanguine fluxit aquis [2].

Haec quidem narratio magnopere persuadet, hunc ipsum Rutilium Lupum, non vero Cornelium Lentulum a Lucilio significatum esse. Praeter impietatem *sacrilegium*, *perjurium* et *impuritatem* ejus detexit Lucilius [3]; *sordidamque ingluviem* irrisisse hoc fragmento visus est:

Thynno capto, corvum excludunt foras.
Occidunt, Lupe, saperdae te et jura siluri:
Sumen te atque amia [4].

---

1 *Jul. Obseq.* c. 115. Cff. *App. B. C.* I, 43. *Liv. Epit.* 73. *Vell. Pat.* II, 15. *Oros.* V, 18.

2 *Fast.* VI, 563 *sqq.*

3 *Cic. de N. D.* I, 23, 63. Cf. supra p. 165.

4 *Varro de L. L.* VII, 47. *Müller* versus corruptos

Quibus versibus ironice Lupi cupiditatem exagitaverit poëta monueritque eum, ut desineret aliquando insectari pisces minores, quales sint saperdae, qui eum occiderent, sed captaret majores, thynnos, siluros, amias, a quibus scilicet nihil ei esset periculi [1]. Perperam vero haec proprie accipiuntur, quasi agatur Lupi ingluvies. Malim ad imbellem ejus animum et timidum referre, ut eorum bonis inhiaret et insidiaretur, quotquot falli fraudarique posse sperabat, intactos vero relinqueret, a quibus sibi metuendum esset, validiores ac potentiores. Ut tamen, quid sentiam, efferam; etsi ingenium Scaligeri emendandi loci ratio testetur, ac probandus sit, quod duplex esse censuit fragmentum, alterum jambico trimetro, hexametro alterum constans, tamen neque hexameter integer est, et siluri cum saperdis, non cum amiis conjungendi sunt. Quare sic distinguam:

— at jura siluri
Sumere te atque amiam (decet).

Dicitur idem, ut vidimus, judex in republica fuisse: quo haud dubie spectat primum libri undetrigesimi fragmentum, quod belle cum aliis aliunde arcessitis conjunctum sic exhibuit Merula:

---

sic separatim edidit:

Quod thynno capto cobium excludunt foras;

et:

Occidunt, Lupe, saperdae te et jura siluri;

et:

Sume rete atque amiam. —

Auson. Popma legit *sume cete* —. Cff. *Notae ad Ed. Varr. Bip.* p. 204.

1 *Cruq.* p. 413. *Dousa ad Luc. fr.* IV, 6 p. 115.

Quapropter certum est facere contra et persequi,
Et nomen deferre hominis: hoc quum feceris,
Cum ceteris reus una tradetur Lupo:
Non aderit ἀρχαις omnium et stoichis: simul
Detrusum tota vi dejectumque Italia
Privarit eum; igni et aqua interdixerit; duo
Habet στοιχεῖα, id nolit: privabit tamen.
Sed fingitur fuga, timido vadit pede
Percitus —
——— te conjice intro, atque es animo bono:
Favitorem me tibi amicum et amatorem putes.
Quaenam vox ex te resonans meo gradu
Remoram facit? —
Hic me ubi videt, blanditur, palpatur, caput
Scabit . . . . . dejerat
Eum scripsisse, et post non scripturum: redi in
Consortionem . . . . a me auxiliatus es.
Quod te intromisi, gratiam referas mihi.

Elegantissimus hic Merulae visus est dialogismus, quo aliquis consilium capit lite cum alio contendendi. Primum enim nominis delationem animo volutare, quaeque delatum maneat, interdictionem, velit nolit reus, aquae et ignis. Deinde fugam accusandi describi putat et opem ab eo fortasse, qui accusare instituisset, fugienti latam. Non habebit, ait poëta, omnium ἀρχὰς et στοιχεῖα, simul atque aqua et igni damnato interdictum fuerit[1]. Etsi absit, ut ipsum Lucilii locum omni ex parte integrum restitutum existimem, tamen sensum aperuit Merula, atque intelligimus, quo mo-

---

1 *Ennii Fragm.* p. 140.

do poëta in animum induxerit, deorum judicio submittere eum, qui ipse judex judiciorum integritatem et juris jurandi sanctitatem violaverat. Ceterum P. Rutilium Lupum praeter consulatum haec deinceps munera obiisse statuit Pighius: quaesturam provincialem a. 648 (106), tribunatum plebis a. 653 (101), aedilitatem a. 656 (98), praeturam a. 659 (95) et praeturam provincialem a. 660 (94) [1].

Hunc igitur facinorosum et scelestum hominem ut famosis cooperuit versibus et secuit Lucilius, ita Metellum laesisse fertur, nihil dolentibus Scipione aut Laelio [2]. Errarunt, qui Q. Metellum Macedonicum intelligi voluerunt [3]. Fuit enim Macedonici filius, teste vetere interprete, qui haec addit: « Q. Caecilius Metellus consularis filios consulares vidit et ab illis elatus est. Hic (i. e. qui Horatio memoratur, Caprarius) potens fuit tempore Scipionis Africani, et cum in concione quaedam contra se decreta declamaret, Scipio ait: *Hi sunt, quos Annibali eripui. Patere ergo*, inquit, *nos liberos esse.* Ob haec et alia Lucilius in gratiam Scipionis eum carpsit quamvis amicum [4]. » Inter Macedonicum Metellum et Sci-

---

1 *Ann.* III p. 143, 169, 186, 197, 203.

2 *Hor. Sat.* II, 1, 67.

3 *Manso* in *Nachtr. z. Sulz. l. l. Wieland Hor. Sat.* II p. 29. *Düntzer Op. l.* p. 459.

4 *Comm. Cruq.* p. 409. In *Cod. Hor. Franeq.* paulo aliter legitur: — *potens fuit temporibus suis et Scipionis — in seditione quaedam adversus se facta clamaret, Scipio ait: sunt — patiere — amicum ipsius.*

pionem inimicitiae fuerant propter dissensionem, quae erat in republica, sed ea manserat sine acerbitate dissensio [1]. Graviores eidem Scipioni fuere cum C. Caecilio Metello Caprario, quarto Macedonici filio. Apud Numantiam enim Scipio, cum stomacharetur cum illo, dixisse dicitur, *si quintum pareret mater ejus, asinum fuisse parituram* [2]. Unde intelligitur Lucilii eum armorum socium in Hispania fuisse. Annos tum fere viginti quatuor natus erat, ac primum quidem amicitiâ ei junctus, deinde Scipionis gratiâ, cui ille magnopere multis de causis displicuisset, infensus. Plura etsi de eo non tradantur, tamen e dictis Scipionis patet, non solum hebetissimo ingenio fuisse, sed etiam impudentissimo animo, qui quum in militari, ut videtur, concione non erubuisset altâ voce poenas conqueri, sibi ab imperatore inflictas, indignatus inverecunde declamantem exclamavit Scipio: «Hoscine servituti, quam iis Annibal minitabatur, eripui! eone beneficio digni erant qui afficerentur!» Atque ille parum commotus respondit: «Eam libertatem, quam nobis parasti, noli nobis invidere aut in servitutem mutare.» Fortasse dissolutiori vitae generi in castris Metellus ille assuetus, Scipioni novo imperatori, qui edixerat, ut omnia ex his, quae voluptatis causâ comparata erant, auferrentur ac summoverentur [3], dicto audiens non fuit et poenas graves sibi

---

1 *Cic. Lael.* 21, 77. *De Rep.* I, 19, 31. *De Off.* I, 25, 87. Cf. *Val. Max.* IV, 1, 12.

2 *De Orat.* II, 66, 267.

3 *Polyaen.* VIII, 16, 2. *Val. Max* II, 7, 1. *Liv. Epit.* 57. *Plut. Apophth.* p. 758 *sqq.*

conflavit. Quam injuriam in concione questus, impunitam sibi licentiam flagitare ausus est. Ac multis durum visum esse imperatoris edictum, exemplum Maevii probat: « Exprobrante subinde imperatore timiditatem et ignaviam, frangente delicatioris usûs ac parum necessaria expeditioni vasa. Quod maxime nobiliter (leg. ignobiliter) accidit C. Maevio tribuno, cui dixisse traditur Scipio: *Mihi paulisper, tibi et reipublicae semper nequam eris* [1]. » Ceterum proquaestor fuisse fertur a. 625 (129), tribunus plebis a. 629 (125), aedilis a. 634 (120), propraetor a. 636 (118), praetor prov. a. 637 (117). Consuli a. 641 (113) Macedonia provincia obvenit, ut adversus Thraces bellum gereret. Re strenue ibi gesta, cum M. Metello fratre, ex Sardinia redeunte, eodem die triumphavit, et propter eximiam victoriam eum *imperatorem* milites appellarunt. Tandem censor fuit a. 652 (102) cum Q. Metello Numidico, cui gravis ille censurae annus fuit propter exsilii calamitatem, qua auctore potissimum Appulejo Saturnino affectus est, quamvis Metellus Caprarius, patruelis ejus, haud expers culpae habendus sit. Etenim quum Numidicus Glauciam senatorem et Appulejum, qui tribunatu abierat, propter flagitiosam vitam senatu movere studeret, restitit ille atque, ut nihil moliretur, effecit. Deinde vero censorius pro Q. Metello Numidico exsula populo Romano suppli-

---

1 *Front. Strateg.* IV, 1, 1. *Plut. Apophth. l. l* ad Memmium, tribunum militum, refert, cujus jumenta intuitus vasibus onusta gemmatis: Ἐμὲ μὲν, inquit Scipio, ἡμέρας τριάκοντα, καὶ τῇ πατρίδι, σαυτῷ δὲ τὸν βίον ἅπαντα. τοιοῦτος ὢν, ἀχρήστον πεποίηκας σεαυτόν.

cavit [1]. Tandem cum tribus fratribus patris exsequiis affuit.

Impietatis, *sacrilegii*, *perjurii* et *impuritatis* crimine L. Hostilium Tubulum cum Rutilio Lupo a Lucilio conjungi apparet [2]. Is postquam quaestor provincialis a. 602 (152), aedilis pl. a. 610 (144) fuerat, a. 612 (142) praetor quaestionem de crimine inter sicarios obtinuit [3]. Qua in causa insigne avaritiae atque iniquitatis exemplum fuit. Itaque quum proximo anno provincia ei decernenda esset, non modo non obtinuit, sed P. Mucius Scaevola tribunus ad plebem rogationem tulit, vellentne quaeri de L. Tubulo, superioris anni praetore, quod, quaestionem inter sicarios exercens, pecuniam ob rem judicandam accepisset. Plebs, uti rogas, et senatum quaesitorem constituere jussit. Quo plebiscito Cn. Caepioni cos. decreta a senatu quaestio. Tubulus vero, non exspectato judicio, nec respondere ausus, quia res apertissima, causa impudentissima erat, in exsilium statim profectus est. Improbitas tamen ejus non erat aut cum imbecillitate aut cum calliditate aut cum inconstantia conjuncta [4], sed erat maxime aperta, infucata: prae se ferebat, quidquid in mores, in leges,

---

1 *Pigh. Ann.* III p. 26, 41, 75, 86, 90, 108, 113, 160. Cff. *Eutrop.* IV, 25. *App. B. C.* I, 28. *Cic. post red. in Sen.* 15, 37. *Post red. ad Quir.* 3, 6.

2 *De Nat. D.* I, 23, 63.

3 *Pigh.* II p. 436, 468, 476, 480.

4 *Cic. de Fin.* II, 16, 54. IV, 28, 77. *De Nat. D.* III, 30, 74

in jura humana ac divina peccabat. Habemus de eo unum omnium gravissimum Ciceronis testimonium, e quo patet, quam inaudita hominis fuerit nequitia. « Si mehercule, judices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem, venenum hospiti aut convivae si diceretur coenanti ab illo datum, cui neque heres neque iratus fuisset [1]. » Cui, sic alio loco ait, Tubuli nomen odio non est? [2] Successit autem hujus vitae pessime actae dignus exitus. Nam propter multa flagitia, quum ab exsilio ad causam dicendam arcessitus esset, id unum metuens ne in carcere necaretur, fertur venenum bibisse [3]. Quod documento est, pertinaciam animi, quae ad perpetranda facinora invicta fuisset, mortis appropinquatione fractam jacuisse.

Eorundem scelerum societate parem L. Tubulo se tulit C. Papirius Carbo. Dousa dubius haesit, quem ex Carbonibus tetigisset poëta, quum Cicero tres fratres omnium improbissimos eo nomine recensuerit his verbis: « Cognovimus Cn. Carbonem, et ejus fratrem scurram. Quid his improbius? De hoc amico meo, Rubriae filio, nihil dico. Tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Carbones. Marcus P. Flacco accusante condemnatus, fur magnus ex Sicilia. Cajus, accusante L. Crasso, cantharidas sumsisse dicitur. Is et tribunus plebis seditiosus et P. Africano vim attulisse ex-

1 *Pro Scauro* 1, 5.

2 *De Fin.* V, 22, 62.

3 *Asc. Paed. ad Cic. p. Scauro* p. 23.

timatus est[1]. » Sed gravis causa est, cur verum vidisse putemus, qui Cajum exhibuerint, postremum a Cicerone memoratum[2]. Nam, quum plebeja esset Carbonum familia, quaesturâ functus a. 618 (136), tribunatum a. 623 (131) adiit, in quo maxime se opposuit Scipioni et in hunc plebis iram accendere studuit. Versabatur adhuc in Numantiae oppugnatione Scipio, quo tempore de Ti. Gracchi nece certior est factus. Quo nuncio accepto fertur Homericum illud exclamasse: Ὣς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι. Captâ Numantiâ, quum triumphum acturus Romam rediisset, ab ipsa pene urbis porta in rostra perductum interrogavit Carbo, *quid de Ti. Gracchi morte sentiret.* Habebat autem Scipio in matrimonio Tiberii sororem Semproniam. Quare sperabat Carbo, auctoritate gravissimi viri incendium inchoatum magnopere incensum iri, non dubitans quin propter tam arctam affinitatem aliquid pro interfecti memoria miserabiliter esset locuturus. Secus evenit. Nam *jure eum caesum esse* affirmavit. Cui dicto cum concio, tribunicio furore instincta, violenter succlamasset, *horum*, inquit, *armatorum toties clamore non territus, quî possum vestro moveri, quorum Italia noverca est.* Orto deinde murmure, *non efficietis*, ait, *ut solutos verear, quos alligatos adduxi.* Obmutuit populus, imperatoria dignitate commotus[3]. Dicitur autem Car-

---

1 *Cic. ad Div.* IX, 21, 3. *Dousa ad Luc.* p. 111.

2 *Orell. Onom. Tull.* p. 439.

3 *Val. Max.* VI, 2, 3. *Liv. Epit.* 59. *Vell. Pat.* II, 4, 4. *Plut. Ti Gr.* 21. *Apophth.* p. 760.

bo fuisse ingeniosissimus adolescens, assiduus M. Aemilii Lepidi Porcini oratoris auditor, et quamvis legum ignarus ac rudis in jure civili, tamen summam eloquentiae laudem adeptus [1]. Sed illas virtutes fervor ac libido, qua popularem rationem tuitus est, obscuravit, et oratoris facultate tam turpiter abusus est, ut aures concionis verborum lenociniis et blanditiis mulceret ejusque sibi favorem quoquo modo conciliaret. Ut enim satis acer ac vehemens, ita canorus et volubilis et valde dulcis ac perfacetus erat orator; quas ei dicendi virtutes juvenilium exercitationum et commentationum assiduitas attulerat. Ejus et Ti. Gracchi si talis mens ad rempublicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, neutri, teste Cicerone, gloriâ quisquam praestitisset [2]. Sed aliâ Carbo juvenis capessivit rempublicam, aliâ senior tenuit. Celebrati ejus sunt maxime tribunatus a. 623 (131) et consulatus a. 634 (120), quibus gerendis patuit, quam esset a constantissimi civis laude alienus. Fuit enim et habitus est tribunus plebis seditiosus ac semisepultae Gracchanae seditionis turbulentissimus vindex, vir improbus et factiosus et orientium civilium malorum fax ardentissima [3]. Ti. Gracchum, dum vivebat ille, sequi et probare solebat; eundem mortuum coluit et saepe in concionibus exitum ejus deploravit [4]. Duplici ro-

---

1 *Cic. Brut.* 25, 96. 27, 103. 62, 221. *De Orat.* I, 10, 39. 34, 154.

2 *Id. Lael.* 25, 96. *Brut.* 27, 103. *De Orat.* I, 34, 154, III, 7, 28.

3 *Id. de Legg.* III, 16, 35. *Pro Mil.* 3, 8. *Val. Max.* VI, 2, 3.

4 *Id. Lael.* 11, 39. 12, 41. *De Orat.* II, 40, 170.

gatione tribunatum suum notum fecit, quippe legem tulit de tribunis plebis reficiendis, ut eundem tribunum plebis, quoties vellet, creare liceret. Huic maxime populari consilio, quod commendare omni eloquentia nisus est, obstiterunt Laelius et Scipio; atque hic quidem gravissima oratione, qua tenuit illud, quod praedicaverat, jure caesum sibi Ti. Gracchum videri, quamvis suadente C. Graccho, fecit ut suffragiis populi repudiaretur[1]. Altera rogatio erat tabellaria tertia, qua perlata sancitum est, ut in legibus jubendis ac vetandis populus tabellis uteretur[2]. Quae lex, adversus senatum lata, ad frangendam optimatum auctoritatem pertinuit. Secuta est a. 625 (129) dira Scipionis nex, quo tempore Carbo, cum Fulvio Flacco et C. Graccho triumvir agro dividundo creatus, seditionem moverat. Restitit Scipio omni vi atque auctoritate, ut rempublicam tueretur, sed ei, postquam pridie fortis ac validus domum redierat, quiescenti in cubiculo vis illata dicitur. Venit quidem in veneficii suspicionem Sempronia uxor, Gracchorum soror; socius tamen caedis habitus est Carbo, perpetuus Scipionis adversarius et qui recentem offensam graviter ferebat[3]. Gestâ deinde praeturâ a. 629 (125)[4], summosque in republica honores adeptus, non jam amplius cela-

---

1 *Cic. Lael.* 25, 96. *Pigh. Ann.* III p. 15.

2 *Id. de Legg.* III, 16, 35.

3 *Id. pro Mil.* 7, 16. Cf. *V. Th. Scheu de morte Afric. min.* in *Beieri Ed. Lael.* 1828 Lips. *Cic. ad Div.* IX, 21, 3. *Ad Q. Fr.* II, 3, 3. *Liv. Epit.* 59.

4 *Pigh. Ann.* III p. 40.

bat, unde illa in populari ratione levitas exstitisset. Nam qui adhuc a bonis semper dissederat, idque moliri erat visus, ut exstirparet optimatum auctoritatem, mutatâ subito mente adhaesit iis, atque ita assentatus est, ut blanditus plebi fuerat. Neque tamen ei hunc ad bonos reditum afferre a bonis salutem potuisse, mox patuit. Nam postquam C. Gracchus, qui Aventinum armatâ multitudine occupaverat, a L. Opimio consule ex SCto interfectus erat, Q. Decius tribunus plebis majestatis eum accusavit negavitque, salutis omnium et conservandae reipublicae causâ vel sceleratissimum civem sine judicio necari licere. Tum Opimii causam acriter defendit Carbo cos. nec quidquam de C. Gracchi nece negavit, sed id jure ac pro salute patriae ex SCto factum esse contendit. Atque sic ille quidem populi suffragiis absolutus est [1]. Sed mox exstitit nobilis illa L. Licinii Crassi admodum adolescentis in Carbonem accusatio, quae ut actori maximam laudem, ita reo exitium attulit. Quamvis autem non diserte tradatur, quam ob causam in judicium vocatus sit, tamen suspicari licet, ob male gestum tribunatum id accidisse. In oratione enim, quam habuit Crassus, res illa ipsa tangitur his verbis: « Non, si Opimium defendisti, Carbo, iccirco te isti bonum civem putabunt: simulasse te et aliud quid quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod

---

1 *Liv. Epit.* 61. *Cic. Catil.* I, 2, 4. *De Orat.* II, 25, 106. 30, 132. *Partitt. orat.* 39, 104.

semper a bonis dissedisti.» Magna autem vis fuit tum primum verba facientis Crassi, adeo ut perculisse reum dicatur, et effecisse, ut ille voluntaria morte, sumtis cantharidibus, se a severitate judicum vindicaret, qui tam improbus, tam levis et inconstans civis fuisset, ut ei promittenti et jurejurando confirmanti et solenniter obtestanti juraret populus se fidem habiturum nullam [1]. Eundem *Neptuni filium* a Lucilio ideo appellatum esse credunt nonnulli, quod immanitate et ferocia terribilis fuisset. Sed nihil alienius a Carbonis persona blanditiâ certantis et simulatione gratiam aucupantis. Quare ita acceptum illud velim, ut supra exposui [2].

Cavendum est, ne cum memorato Opimio confundamus Q. Opimium, patrem ejus; cujus mentio facta a Lucilio his versibus:

Quintus Opimius ille Jugurthini pater hujus,
Et formosus homo fuit et famosus, utrumque
Primo adolescens, posterius directiu' sese.

Eodem pertinere videtur:

Tapullam rident legem congerae Opimî [3].

Patet legem convivalem ficto hoc Tapullae nomine intelligendam esse, quam conscripsisse fertur jocoso carmine

---

1 *Cic. de Orat.* I, 10, 39. II, 40, 170. III, 20, 74. *Brut.* 43, 159. *Ad Div.* IX, 21, 3. *Plut. Praec. polit.* p. 196 Reiske. Cf. *Val. Max.* VI, 5, 6. *Ellendt Prolegg. ad Brut.* p. XXXV.

2 p. 164, 165. Cf. *Dousa ad Luc.* p. 111 et, quem laudavit, *Gellii* locus XV, 21.

3 *Luc. fr.* XI, 1. *inc.* 46. Erravit *Schlosser*, filium cum patre confundens *Op. l.* II p. 302 x.

Valerius Valentinus [1]. Ceterum dissolutos adolescentiae mores Q. Opimius, de quo praeterea nil constat, emendasse maturâ aetate putandus est.

Conjungendi videntur Q. Mucius Scaevola, L. Licinius Crassus et T. Albucius. Mutium quendam a Lucilio graviter petitum esse, docet Persius:

— *secuit Lucilius urbem*,
Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis [2].

Ad quem locum glossator: « Mutius fortiter et sapienter tulit, quidquid in eum a Lucilio dictum est. » Porro Juvenalis:

Quid refert dictis ignoscat Mutius, an non? [3]

ubi, laudato Persii loco, plenius interpres: « Mutius hunc dentem fortiter et sapienter tulit, quamquam in eum dictum sit: si Mutium insectabere, futurum est, ut miser sis. » Mirum sane cuivis accidat necesse est, qui Q. Mucium a Persio conjunctim cum Rutilio Lupo memoratum invenerit. Ac facile quis, ista reputans quae de hujus feruntur pessimis moribus et indole, audacter neget, Q. Mucium Scaevolam augurem intelligi posse, cujus mentio a Lucilio facta exstat. Nec sane equidem assentiri iis possum, qui hunc cogitant. Quem etiamsi non prorsus immunem vitii fuisse statuamus, certe dignus non erat, in quem gravius inveheretur Lucilius. Atque opinionem nostram probat Crassi apud Ciceronem oratio testantis, Scaevolae

---

1 *Fest.* v. Tapulla. De Valerio Valentino cf. *Val. Max.* VIII, 1, 8.

2 Sup. p. 88.

3 *Sat.* I, 154.

auguri subiratum fuisse Lucilium eamque causam esse, cur minus ipsi sibi, quam voluisset, familiaris fuisset [1]. Unde patet, non pari odio habitos ab eo Scaevolam et Lupum, sed leviorem in illum iram suscepisse, hunc tantumnon exsecratum esse. Itaque haud scio an non rectius P. Mucium Scaevolam intelligendum censeamus, qui tribunus plebis rogationem tulit ad populum, vellentne quaeri de L. Hostilio Tubulo, qui, praetor quaestionem inter sicarios exercens, pecunias ob rem judicandam accepisset. Ac magis sane movemur eo, quod eum accipimus invidisse et obtrectasse Scipioni minori [2]. Quae inimicitia haud dubie exstitit, postquam Ti. Gracchi partibus favere coeperat Scaevola. Nam existimabatur cum fratre P. Crasso auctor agrariarum legum fuisse, quas ille pertulisset [3]. Quum vero deinde cos. a. 621 (133) in aedem Fidei publice senatum convocasset ut, quid fieri praestaret turbante rempublicam Ti. Graccho, deliberarent, cunctique censuissent, ut cos. armis rempublicam tueretur, negavit se quidquam vi esse acturum. Id quamvis segnitiae ac languori ejus tributum esse pateat, tamen credibile, nihil violentius eum facere voluisse, quoniam Graccho, cui studuisset adhuc, parcere vellet. Sed detrectantem eum increpuit P. Scipio Nasica. *Quoniam*, inquit, *consul, dum juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, egomet privatus voluntati vestrae me ducem offero.* Ac laeva manu togae parte circumdata, sublataque dextra procla-

1 Sup. p. 44.

2 *Cic. de Rep.* I, 19.

3 *Id. Acad.* II, 5, 13.

mavit: *qui rempublicam salvam esse volunt, me sequantur.* Tum ille, comitantibus multis, Gracchum ipsum et factionem ejus morte poenas persolvere coëgit[1]. Post hanc Gracchi cladem Scaevola sive naturae imbecillitate, sive sententiae levitate conversus est et C. Papirii Carbonis similem se probavit. Contendit enim ea, quae privatus P. Scipio sumsisset et in Gracchum strinxisset, arma jure optimo sumta fuisse, confirmavitque multis SCtis et ornavit factum[2]. Non mirum igitur illud Scipionis, moti hac inconstantia hominis. Qui cum M. Flaccus ei, multis probris objectis, P. Mucium judicem tulisset, *ejero*, inquit Scipio, *iniquus est.* Cum esset admurmuratum: *Ah!* inquit, *P. C. non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus*[3].

Hunc igitur Mucium maxime probabile est invisum fuisse Lucilio, cum ob inconstantiae famam, tum quod, Metelli Caprarii instar, eum obtrectantem Scipioni cognovisset. Sed ab eo hîc distingui oportet Q. Mucium Scaevolam augurem, cui subiratum fuisse Lucilium vidimus. Inimicitiarum opportunitas quae fuerit, publicaene an privatae, frustra quaerimus. Quodsi vero aliquis conjiciendi locus esse poterit, suspicionem movet, quod praeturâ Asiae functus Scaevola a. 633 (121) a T. Albucio repetundarum est accusatus[4]. Lucilium Asiae fuisse publicanum constat; ac fortasse,

---

1 *Val. Max.* III, 2, 17.

2 *Cic. pro Planc.* 36, 88. *Pro domo* 34, 91.

3 *Id. de Orat.* II, 70, 285.

4 *Id. eod.* 70, 281. *Brut.* 26, 102.

in provincia quum versabatur, dubitandi de praetoris fide atque integritate causam habuit. Judicio quidem absolutus est Scaevola; nihilominus suscepta de eo opinio non detracta Lucilio, qui in primis aegre ferebat, eum cohorte ac turma amicorum, provincialium bonis infestorum, stipatum fuisse [1]. Hinc nata offensio L. Crassum quoque tetigit. Quem, Scaevolae generum, etsi amicitiâ complecti cupivisset Lucilius, tamen soceri invidia obstitit, quominus in eam familiaritatem illum reciperet, qua sibi eum conjunctum optasset. Nescimus autem prorsus, qua ratione quidve in Scaevola illuserit poëta. Constat induxisse dicentem ac deridentem T. Albucii ineptias. Quod quo melius intelligatur, Ciceronis verba apponemus: « Res vero bonas, ait, verbis electis, graviter ornateque dictas, quis non' legat? nisi qui se plane Graecum dici velit: ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius. Quem quidem jocum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius [2] ..... apud quem praeclare Scaevola:

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Pontî, Tritanni, centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum, signiferûmque,
Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
Id, quod maluisti, te, quum ad me accedi',
saluto;

---

1 Vid. sup. p. 189.

2 Fortasse inserendum est: usurpavit.

Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omni' cohorsque
Χαῖρε, Tite! Hinc hostis mî Albucius, hinc inimicus [1]. »

Albucius, quem hîc memoratum videmus, num idem fuerit, cujus Luciliano charactere libelli laudentur, valde dubito [2]. Neque enim ἰσχνὸς ille Lucilianae poëseos χαρακτὴρ cum hujus artificio comparari potest. Apud Horatium etiam mentio fit senis Albucii, qui quum convivaretur, servis suis officia distribuebat et ante, quam aliquis eorum peccaret, caedebat eos, dicens vereri se, ne, quum peccassent, caedere illi postea non vacaret. Idem veneficus erat et distinguendus a Luciliano [3]. Albucius igitur, quem Scaevola irrisit, Athenas adolescens se contulerat, ubi Epicuri sectae ita adhaesit, ut perfectus Epicureus audiret. Studuerat Graecis literis, et tanto eas furore colebat, quanto fastidio despiciebat Latinas. Quum Scaevola, Asiae praeturam obiens, Athenas venisset, eum Albucius salutatum convenit. Non tulit arrogantiam hominis et inanem fastum, cui Graecum se appellari magis placebat quam Romanum et Sabinum. Itaque non solum ipse eum Graece salutavit, sed omni cohorti suae, ut idem facerent, praecepit. Cujus injuriae impatiens ille, reducem ex provincia repetundarum postulavit; sed quamvis accusanti favere viderentur Granii tabulae, tamen absolutus est Scaevola.

---

1 *Cic. de Fin.* I, 3, 9.
2 Sup. p. 121.
3 *Sat.* II, 1, 48. 2, 67.

Videtur autem hic apud Lucilium ludibrio habuisse adversarii orationem, quae, relicto rerum pondere, splendebat artificiosa verborum exquisitorum structura. Inde illud:

Quam lepide lexeis compostae! ut tesserulae omnes
Arte pavimenti atque emblemate vermiculato
Structae! [1]

Quae quum dixisset in Albucium illudens Scaevola, ne a Crasso quidem abstinens, ejus exemplo usus est:

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

Hunc locum ita expositum cognovi, ut Mucio, reprehendenti et salsa comparatione irridenti orationem suam, Albucius eloquentiae inopiam exprobraverit. Scaevola enim, qui, quod pro se opus erat, ipse solebat dicere, ut de pecuniis repetundis contra Albucium, oratorum in numero non erat, eumque enucleate quidem et polite suam causam defendisse, nequaquam tamen ea vi atque copia, quam illud judicii genus postulabat, constat. Quum vero acerbam Albucii exprobratione stomacharetur ille, maluisse Crassi, generi sui, mentionem injicere, quam suam dicendi facultatem inani praedicatione tueri [2]. Non video, quid ista Crassi mentio Scaevolae prodesse potuerit ad sui sermonis tenuitatem excusandam. Neque vero verba Ciceronis docent, jactasse eum Crassi eloquentiam, sed illusisse.

---

1 *Cic. Brut.* 35, 131. 26, 102. *Orat.* 44, 149. Sup. p. 98.

2 *D'Arnaud vitae Scaevolarum* p. 33. Crassi mentio quoque facta videtur fr. X, 1, ubi *judicium honorum Crassis competere* pluribus explicatum fuisse dicitur. Non alienum autem est, Scaevolae et Albucii contentionem ad l. X referre, quo oratores petitos esse narravimus p. 177, 196.

Quare credo, versum posteriorem tenui intervallo successisse duobus prioribus, atque ob maxime naturalem, quae Scaevolae erat, dicendi rationem non alienum visum esse Lucilio, ejus personâ uti, ut Crassi exquisitum dicendi genus, numerosam et compositam orationem tangeret.

Num longior fuerit poëta in ridendo Albucio, num datâ operâ opposuerit homini fere Graeco et insolens domesticarum rerum fastidium jactanti hominem avitae disciplinae Romanae studiosum atque vindicem, num, quae alia in utroque contraria essent, Epicureae et Stoicae doctrinae studium, attigerit, non licet cognoscere. Namque non ineptus solum et vanus homo erat Albucius, verum etiam turbulentus civis et sordidus, quippe qui in gerenda Sardiniae praetura a. 549 (105) avaritiae invidiam sibi conciliavit. In qua provincia ipsa postquam, belli materiem quaerens, cum mastrucatis quibusdam latrunculis una cohorte auxiliaria pugnaverat [1], triumphavit, ac Romam redux repetundarum accusatus a C. Julio Caesare Strabone et damnatus exsilio est. Fertur Athenis aequissimo animo philosophatus esse [2].

Legimus apud Lucilium:

Luciu' Cotta senex, Crassi pater huju' paneci,
Magnus trico fuit nummariu', solvere nulli
Lentus [3].

---

1 *Cic. de prov. consul.* 7. *Pigh. Ann.* III, 147.

2 *Id. de Off.* II, 14, 50. *Divin. in Caec.* 19, 63. *Tusc. Q.* V, 37, 108.

3 *Fragm.* XI, 3.

His versibus Barthio visus est opponi pater parcus filio prodigo [1]. Itaque corrigi placuit Had. Junio *hujus παναίθου* i. e. splendidi. Intelligendus autem haud dubie est L. Aurelius Cotta, quem tribunum plebis fuisse accipimus a. 600 (154), consulem a. 610 (144), quique quo tempore haec scripta a Lucilio fuerunt, senectutem attigerat. Memoriae proditum est, cum sacrosancta potestate tribunicia fretus ille creditoribus noluisset satisfacere, tribunorum collegium decrevisse, si neque solveret pecuniam, neque daret cum quo sponsio fieret, se appellantibus eum creditoribus auxilio futurum. Iniquum enim putabant, majestatem publicam privatae perfidiae obtentui esse, eumque in tribunatu quasi in aliquo sacrario latere [2]. Conficitur hoc testimonio, quod Lucilius indicat, morosum fuisse hominem et ad reddendum, quod mutuum sumserat, aegerrime accessisse. Idem *veterator* a Cicerone appellatus est, quia callide subterfugere poenas noverat [3]. Atque avaritiae quidem nomine P. Scipioni Aemiliano male audiebat. Nam quum, consulatum adeptus, cum collega Ser. Sulpicio Gallo in senatu contenderet, uter adversus Viriathum, fortissimum ducem et Lusitanorum defensorem, in Hispaniam mitteretur, ac magna inter patres conscriptos dissensio esset, *neutrum*, ajebat Scipio, *mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis.* Quo dicto, ut neuter in provinciam mitteretur, effecit [4]. Neque

---

1 *Adv.* XLI, 13.
2 *Val. Max.* VI, 5, 4.
3 *Cic. Brut.* 18, 81.
4 *Val. Max.* VI, 4, 2.

persequi hominem fraudulentum et sordidum destitit Scipio; qui functus censurâ et altero consulatu a. 620 (134), ad praetorem eum accusavit gravissimorum criminum reum [1]. Causae patronus accessit Q. Metellus Macedonicus, qui eloquens habebatur [2]. In eo autem judicio patuit, omnia, quae summa fuerunt in Scipione, nil valuisse ad opprimendum reum, ac Cicero testatur ipsam illam insignem accusatoris dignitatem, fidem, integritatem, auctoritatem non modo non obfuisse sed profuisse Cottae, quia sapientissimi homines, qui tum rem illam judicabant, noluissent, ita quemquam cadere in judicio, ut nimiis adversarii viribus abjectus videretur. Itaque causa, septies ampliata, octavo judicio absoluta est.

Versus sunt apud Lucilium:

Scipiadae magno improbus obiciebat Asellus,
Lustrum illo censore malum infelixque fuisse [3].

Improbum hunc Ti. Claudium Asellum, equestri ordini adscriptum, notum reddit Africanus minor. Namque in censura, quam cum L. Mummio Achaico a. 612 (142) egit, quum, equitum centurias recognoscens, Asello equum publicum ademisset ipsumque in aerarios retulisset, ejus vehemens odium suscepit. Actam censuram gravis pestilentia et fames consecu-

---

1 *Cic. Divin. in Caec.* 21, 69. *Pro Muren.* 28, 58. *Val. Max.* VIII, 1, 11. *Repetundarum* accusatum esse, patet ex *App. B. C.* I, 22 ubi legitur σαφῶς δεδωροκοκώς. Cf. *Cic. pro Fontejo* 13, 28 « *Quam multa in suo judicio audivit L. Cotta?* »

2 *Brut. l. l.*

3 *Fragm.* XI, 5.

tae tantopere grassabantur, ut jacentibus in publicum passim cadaveribus, qui funerarent, deessent[1]. Asellus, a. 615 (139) tribunus plebis creatus, Scipioni diem dixit ad populum. In quo judicio quum reo objecisset lustrum malum atque infelix: *noli*, inquit ille, *mirari: is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit et taurum immolavit.* Quibus verbis carpsit Mummium, qui quod ignominiâ a Scipione illatâ Asellum levaverat et ex aerariis exemerat, videbatur ipsam civitatem religione obstrinxisse[2]. Quumque Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, *agas*, inquit Scipio, *asellum* —, proverbio usus, quo significaret crassam ejus stupiditatem[3]. Pluribus deinceps orationibus cum eo Scipionem egisse, inde constat, quod quinta memoratur. Ejus orationis, quam pro se habuit de multa, particula superest, quam, quia nobis Aselli indolem et mores patefacit, integram referemus: « Omnia mala, probra, flagitia, quae homines faciunt, in duabus rebus sunt, *malitiâ* atque *nequitiâ*. Utrum defendis malitiam, an nequitiam, an utrumque simul? Si nequitiam defendere vis, licet: sed tu in uno scorto majorem pecuniam absumsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sa-

---

1 *Val. Max.* IV, 1, 10. *Jul. Obseq.* c. 81.

2 *Cic. de Orat.* II, 66, 268. Mirum sane est, Scipionem negare a se conditum lustrum fuisse, quum alii eum condidisse diserte testentur. Cf. sup. p. 73.

3 *Id. eod.* 64, 258. Proverbium Graecum est: εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε γοῦν ὄνον.

bini in censum dedicavisti. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? Sed tu plus tertia parte pecuniae paternae perdidisti atque absumsisti in flagitiis. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? Non vis *nequitiam*. Age *malitiam* saltem defendas. Sed tu verbis conceptis conjuravisti sciens sciente animo tuo. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? [1]» Parum vero liquet, quid ista significent, quae apud Augustinum legimus: « Ἀμφίδοξος est controversia, in qua vel honestatem personae turpitudo rei maculat, velut si Scipio petat praemii nomine mortem Ti. Aselli [2].» Acerbus ei vitae exitus dicitur accidisse. Namque eum Licinia uxor veneno necavit, quae ipsa laqueo sceleris poenas luit [3].

Diximus supra [4], libro duodetrigesimo de P. Gallonio fure egisse Lucilium. Hic quae eum spectant dabimus. Leginus apud Ciceronem: « Non ille, qui Diogenem Stoicum adolescens, post autem Panaetium audierat, Laelius eo dictus est sapiens, quod non intelligeret, quid suavissimum esset (nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatum); sed quia parvi id duceret:

O lapathe, ut jactare necesse est, cognitu' cui sis!
In quo Laeliu' clamores, σοφὸς ille, solebat
Edere, compellans gumias ex ordine nostros.

---

1 *Gell.* VII, 11, 9.

2 *Princip rhet.* p. 326. Cf. *Meyer Oratt. Rom. Fr.* p. 101 *sqq. Ellendt Proll. ad Brut.* p. XXX.

3 *Val. Max.* VI, 3, 8.

4 p. 185.

Praeclare Laelius, et recte σοφός, illudque vere:

O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit.
Coenasti in vita nunquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla atque acipensere cum decumano.

Is haec loquitur, qui, in voluptate nihil ponens, negat eum bene coenare, qui omnia ponat in voluptate: et tamen non negat, libenter unquam coenasse Gallonium; mentiretur enim: sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene coenent, omnes libenter coenare: qui libenter, non continuo bene. Semper Laelius bene. Quid bene? Dicet Lucilius:

Cocto,

Condito

Sed cedo caput coenae:

sermone bono.

Quid ex eo?

Si quaeri', libenter.

Veniebat enim ad coenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae. Recte ergo is negat, unquam bene coenasse Gallonium: recte, miserum: quum praesertim in eo omne studium consumeret. Quem libenter coenasse nemo negat. Cur igitur non bene? Quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro male, prave, nequiter, turpiter coenabat. Non igitur nec lapathi suavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat, sed suavitatem ipsam negligebat: quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret [1]. » Hunc locum considerantes, intelligimus,

---

1 *Cic. de Fin.* II, 8, 24. 28, 90.

Laelium a poëta inductum esse non solum Gallonio exprobrantem immoderatos coenae sumtus, verum etiam ex aequalibus suis eos omnes nominatim compellantem, qui similiter genio et ventri nimis indulgerent. Unde existimari licet, unius e plurimis sui similibus Gallonii memoriam nobis servatam esse. Cognominatur gurges, qua appellatione etiam Fabium quendam a devorato patrimonio notatum ajunt [1]. Praeconem fuisse Horatius docet:

— *haud ita pridem*
Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis [2].

Ad quem locum interpres: « Gallonius praeco primus acipenserem piscem suae mensae apposuit. Quare ejus mensa etiam a Lucilio taxatur [3]. » Hanc immoderatam in homine plebejo opulentiam et luxuriem, a Lucilio notatam, deinde hominum memoriae adhaesisse, cum Horatiani versus probant, tum Ciceronis ex oratione locus: « Non usque eo tamen (res veniet), ut in capite fortunisque hominum honestissimorum dominentur ii, qui, relicta bonorum virorum disciplina, et quaestum et sumtum Gallonii sequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt [4]. » Itaque quamvis luxuriosus

---

1 *Macrob.* II, 9. *Plin. H. N.* VII, 41. *Juven. Sat.* VI, 266.

2 *Sat.* II, 2, 47.

3 *Comm. Cruq.* p 417a. Male *Döring* putat in praeconibus primum acipensere usum esse, cum omnino Romanorum primus mensae apposuisse existimandus sit.

4 *Pro Quint.* 30, 94.

ad voluptatem omnia referret, quamvis etiam lucri cupidus atque avarus esset, tamen istis vitiis laboranti tantum pudoris inerat, ut non ad effrenatam licentiam atque perfidiam prorumperet. Quae quum ita sint, videndum, quid valeant quae de eodem leguntur: « Iteratio, quam Graeci ἀναδίπλωσιν vocant, si dextre collocatur, magnum ornatum affert orationi. — Optime Lucilius sat. XXVIII de fure Gallonio:

Hic scurra, hic carcer, carcer vix carcere dignus [1]. »

His versibus duo alios adjunxit Merula:

Omnia viscatis manibus leget; omnia sumet,
Crede mihi, presse auferet omnia —

Videtur igitur Gallonius, patrimonio ingentibus sumtibus consumpto, praeconio ad opes parandas instaurandamque lautarum epularum delectationem tam turpiter abusus esse, ut ne furtis quidem clandestinis abstineret, quamvis vix intelligam, quomodo haec a perfidia aliena esse potuerint. Ceterum non opus est ut putemus, priorem Lucilii locum, quem Cicero servavit, etiam ad l. XXVIII pertinere; quem ad l. IV aut XXV referre malim.

Facilis est ab isto Gallonio ad Nomentanum et Pantolabum propter improbitatis societatem transitus. De utroque Horatius et qui Horatianas personas illustrarunt, nonnihil monent. Universe traduntur no-

---

1 *Calpurn. Piso de continentia veterum poëtt. l. I* (cf. *Merula ad Enn.* p. 253 sqq). Calpurniani operis quae fata fuerint scire velim. Merulae tempore latebat Parisiis in Biblioth. S. Victoris et magno pretio ab eo habebatur. Cf. *Praef. Merul.* p. 2.

mina esse vilium et luxuriosorum, quos in priore libro Lucilius carpserit[1]. In fragmentis diserta Nomentani fit mentio:

Qui te, Nomentane, malum, jam cetera perdat[2].

Ubi *qui* exponitur *utinam* et versus ex secundo satirarum libro affertur. Ejusdem nomen acute Scaliger in hoc fragmento detexit:

Nunc Nomentani quae ex testibus ipse rogando
Exsculpi, haec dicam —[3].

L. Cassius Nomentanus cognomen habebat a patria urbe Nomento. Adeo fertur suorum bonorum profusus fuisse, ut sestertiùm septuagies libidini et gulae impenderet[4]. Sed quae de eo, probabiliter ex Lucilio, refert Horatius, nepotem istum ad vivum depingunt:

Nunc, age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum;
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piscator uti pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tuscî turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum velabro omne macellum,
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes.
Verba facit leno: « Quidquid mihi, quidquid et horum

---

1 Sup. p. 166.

2 *Lucil. Fr.* II, 15.

3 *Eod.* 5. Cf. *Dousa* p. 112. *Nonius* exsculpere exponit *extorquere*.

4 *Comm. Cruq.* p. 307. « Ejus coquum, nomine Damam, Sallustius Crispus centenis nummis conductum habuit. »

Cuique domi est, id crede tuum, et vel nunc
pete vel cras. »
Accipe, quid contra juvenis responderit aequus:
« *In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum*
Coenem ego: tu pisceis hiberno ex aequore verris:
Segnis ego, indignus qui tantum possideam,
aufer:
Sume tibi decies: tibi tantundem: tibi triplex
Unde uxor media currit de nocte vocata [1].

Sic igitur iste vappa ac nebulo cupediariis omnibus atque obsonatoribus fingitur largitus esse et exhausisse rem familiarem. Ejusdem farinae homo fuit Mallius Verna, qui trans Tiberim ingenuis parentibus natus comessando patrimonium dilapidavit. Quo facto, quum ob scurrilitatem haud male audiret, sed multis esset familiaris, impetravit Pantolabi cognomen, quia ab omnibus vel accipiebat pecuniam vel mutuam rogabat. Quare vix dubium quin ejus nomen apud Horatium Epist. I, 15, 26 sit reponendum:

Maevius, ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
Impransus non qui civem dignosceret hoste,
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro.
Hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil

---

1 *Sat.* II, 3, 224 *sqq.* Cf. 175. I, 1, 102. 8, 11. II. 1, 22. *Comm. Cruq.* p. 436.

Aut paulum abstulerat, patinas coenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset,
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, corrector Bestius. Idem
Quidquid erat nactus praedae majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem « non hercule miror,
Ajebat, si qui comedunt bona, cum sit obeso
Nil melius turdo, nil vulva pulcrius ampla. »

Animadvertit interpres, Maevium illum Pantolabum dictum esse ab eo, quod quidquid offerebatur acciperet: erat autem et urbanus et mordax; itaque in eum largi erant et qui urbanitate delectabantur et qui mordacitatem ejus timebant [1]. Perspicitur facile, haec de Mallio dici, cui unice convenit Horatii locus. Neque tamen hic magis, quam Nomentanus socius, quidquam, unde efferretur, reliquit. Quare quum privata sepulcra habere non possent, in Esquiliis publicis sepulti sunt extra portam, in qua erat sessorium [2]. Perperam hos Horatii aequales fuisse multi putaverunt: nam Trebatium eorum nominibus utentem fecit [3], ut luxuriosorum genus, a Lucilio in istis gravissime notatum, significaret.

Prout Pantolabus scurrae personam mirifice gerebat, ita aequalem suum Maenium scurrilitate parem habebat. De quo illud est Horatii:

Maenius absentem Novium cum carperet « heus tu,

---

1 *Comm. Cruq.* p. 562b.

2 *Id.* p. 386.

3 *Sat.* II, 1, 22. Itaque *Comm. Cruq.* p. 436 Nomentanum pro quovis luxurioso positum dicit.

Quidam ait, ignoras te? an, ut ignotum, dare nobis
Verba putas?» «Egomet mi ignosco» Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari [1].

Ac videtur ineptam illam φιλαυτίαν Lucilius derisisse, cujus hoc unum est fragmentum: *Maenius columnam cum peteret.* Maenius enim, quum domum suam, quam ad forum habebat, vendere cogeretur Catoni et Flacco censoribus a. 569 (184), quia ibi basilica erat aedificanda, unius columnae sibi excepit jus, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur *columna Maenia* nominata est. Apud illam non solum debitores a creditoribus proscribebantur, sed etiam fures et servi nequam apud triumviros capitales puniri solebant [2]. Idem, abroso patrimonio, Cal. Januariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadraginta nummorum aeris alieni haberet, ac, quaerente quodam, quid sibi vellet, quod tam solenni die aes alienum optaret, *noli mirari*, inquit, *octoginta habere debeo* [3]. Quo dicto quam essent ei suae opes taedio, satis declaravit aperte.

Praeter hos aliorum exstat in Lucilii fragmentis

---

1 *Sat.* I, 3, 21.

2 *Schol. Bob. in orat. p. Sest.* p. 295 Ed. Orell.

3 *Pseudo-Asc. in Divin.* 16, 50. *Comm. Cruq.* p. 332. *Lucil. fr. inc.* 105.

tam incerta mentio, ut vix divinare audeam, qui et quales fuerint. Tales sunt Andronius, Aristocrates villicus, C. Cassius operarius, Caecilius praetor, Cotys rex Thraciae, Hortensius judex, Livius, Q. (Fabius) Maximus, Mycon, Terentia Orbilia, P. Pavus Tuditanus quaestor, Postumius, Symmachus bubulcus, Tullius judex, Trebellius, Valerius[1]. Neque vero omnes hos probabile est a Lucilio derisos fuisse. Vectium etiam quendam insectatus dicitur, neque ineptum est cum Dousa suspicari, Q. Vectium Vectianum esse, oratorem e Marsis, virum prudentem et in dicendo brevem[2]. Memoravit praeterea M. Crassum, qui avus fuit Crassi in Parthis interemti. Eum, ἀγέλαστον appellatum, semel in omni vita risisse testatus est poëta, neque id obfuisse quominus cognomen illud servaret[3]. Acceptum sane nobis esset, si constaret, qua singulari opportunitate frons illa severe contracta ad risum diffunderetur. Verba sunt Hieronymi, aliquid non omnia explicantis: « In mea enim patria, rusticitatis vernacula, Deus venter est, et in diem vivitur, et sanctior est ille qui ditior est. Accessit huic patellae, juxta tritum populi sermone proverbium, dignum

---

1 *Fr. inc.* 86. XVII, 3. XI, 2. *inc.* 97. XVI, 3. *inc.* 62. (II, 1) V, 11. XXVIII, 6. *inc.* 117, 104. XIV, 3. II, 1. III, 24. XI, 2. XV, 4. *inc.* 106.

2 *Cic. Brut.* 46, 169. *Dousa ad Luc.* p. 107. Cf. sup. p. 197.

3 *Plin. H. N.* VII, 19. *Cic. Tusc. Q.* III, 15, 31. *De Fin.* V, 30, 92. *Hieron. Apol. adv. Rufin.* et *ad Demetr. Apollin. Sidon. Carm.* XXIV, 10.

operculum ; Lupicinus sacerdos, secundum illud quoque, de quo semel in vita Crassum ait risisse Lucilius: *Similem habent labra lactucam asino carduos comedente.* Videlicet ut perforatam navem debilis gubernator regat, et caecus caecos ducat in foveam, talisque sit rector, quales illi qui reguntur [1]. » Animadvertit Erasmus, natum esse adagium ab asino carduos comedente : lactucam autem esse herbam mollem et teneram, quae non admodum dissimilis sit carduo, praesertim sylvestri. Quemadmodum igitur carduus spinosus sit, atque majorem in modum asperis foliis et caule, ipso etiam flore, ita asini labris nihil durius esse atque petricosius, ut illis non alia lactuca magis apta videatur. Pertinax autem Imperator tam fertur fuisse sordidus, ut dimidiatas lactucas et carduos in privata vita convivis apponeret [2]. Fortasse igitur in convivio, conspecto qui crassioribus labiis lactuca cum voluptate vesceretur, audiente Crasso aliquis conviva illâ asini comparatione usus est, quae

1 *Epist.* 43. In *Vers. Gall.* cur. *Guil. Roussel* a. 1713 ita legitur : — *et le plus riche y passe pour le plus saint. Ajoutez à cela que ces peuples grossiers et barbares sont gouvernés par le prêtre Lupicin, qui ne l'est pas moins qu'eux : tel vase, tel couvercle, comme dit le proverbe, ou pour me servir du mot, qui, au rapport de Lucilius, est le seul dont Crassus ait jamais ri et qui fut dit en sa présence à l'occasion d'un âne, qui mangeait des chardons : telles lèvres, telles laitues. C'est à dire, que Lupicin est un pilote foible et ignorant, qui se mêle de gouverner.* — Patet minus recte Rousselum putavisse, dictum illud fuisse, conspecto asino qui carduos comederet.

2 *Adag. p.* 644b. Cf. *Facciol. Lexic.* v. labrum. *Jul. Capit. Vit. Pertin.* 12.

et Crasso risum moveret, et proverbii loco deinde usurparetur.

Haec de personis Lucilianis animadvertisse sufficiat. In quibus *primores populi* praesertim attendimus, quorum vita et res notiores erant. Sed etiam ignobiliores atque e plebe homines in eorum numero fuisse, palam est, atque plura horum nomina in fragmentis corruptis sine dubio latent. Quod vero dicitur Lucilius populum *tributim arripuisse*, re vera singulas triginta quinque tribus notasse videtur. Cujus notationis haec exigua vestigia deprehendi. Ciceronem, Atinatum et Tusculanorum mores comparantem, sic illustrat scholiastes: « Praeterea et hinc istis civitatibus adjicit differentiam, quod Atinates semper civibus suis faverant, Tusculani plurimum livoris naturaliter etiam circa municipes suos habuisse videntur. Sic et M. Cato ille Censorius pro maligno et invido habitus est. Nec aliter etiam Lucilius de eorundem moribus sentit, hoc dicens: *prima Papiria tu solidarum* — [1]. » Viderunt interpretes corrigendum esse *Tusculidarum*, recteque effecerunt, Tusculanos in Papiria tribu suffragium tulisse, eamque malivolentiâ laborasse Livio teste probarunt. Itaque videtur exorsus poëta ab hujus ipsius tribus Papiriae mentione. Palatinam quoque tribum attigisse, inde probabile, quod Calvum quendam sic appellavit:

Calvu' Palatinâ, vir nobilis ac bonu' bello [2].

---

1 *Schol. Bob. ad or. p. Planc.* p. 254 Ed Orell. Cf. *Liv.* VIII, 37.

2 *Lucil. Fr.* XXX, 39. Cf. *J. Gulielm. Veris.* II, 2.

SCIPIO ET LAELIUS.

Ingratum sane nobis spectaculum cum aetatis, qua Lucilius floruit, adumbratio, tum argumentorum expositio, in quibus versatus est, tum vero personarum, quas insectatus est, descriptio praebuit. Quae si quis cuncta menti proponat ac meditetur, fateatur necesse est, magnâ jam eo ipso tempore corruptelae labe laboravisse civitatem, in qua principes turpiter viverent ipsique vitiis insignes populum pravitate exempli a virtute avocarent. Nihilominus fore arbitror, quibus ea, quae de morum statu supra attigimus, propterea displiceant, quia, quae vitia oriri ac sensim adolescere in republica coeperint, potissimum attendentes, quae superessent virtutes quique virtutibus excellerent viri, referre neglexerimus. Quibus si acciderit, ut illa Ciceronis attendant: *mitto C. Laelium, P. Scipionem: aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae, sic Latine loquendi* [1], nonne declamaturos verisimile est in nostram judicii iniqui-

1 *Brut.* 74, 258.

tatem? Itaque et propter hanc haud sane inanem hominum opinionem, et ut recte Ciceronis in ea re non temere rejiciendam auctoritatem interpretemur, necesse est ut tempora rite distinguamus. Laelii enim et Scipiones, quo tempore Lucilius natus erat, maturam jam attigerant aetatem, et quum ille ad adolescentiam pervenerat, hi senescebant. Quamobrem illorum flos in florem reipublicae et vigorem incidebat, quum priscarum virtutum splendorem, quo illorum juventus omnisque vita illustrata est, nondum irruens peregrinorum morum imitatio obscuraverat. Virtus, fides, constantia in honore erant; eas ut profitebantur majores natu, ita juventuti exemplo monitisque et laudandis majorum institutis commendabant: praesertim pietate, vitaeque cum sanctitate, tum simplicitate principes excellebant, quorum incorrupti mores et nobilis concertatio in sui et admirationem et aemulationem populum adhortabantur et quasi invitabant. Post demum invecta sunt illa mala, quae memoravimus [1], quibus fiebat ut pietati impietas et superstitio, fidei fraus et fallacia, simulatio candori, continentiae et abstinentiae avaritia et luxuria, constantiae levitas, impudentia pudori succederent; magnumque periculum esse videbatur, ne, quae respublica firmata legibus moribusque atque avitae disciplinae sanctitate stabilita fuisset, ea citius dissolveretur quam confirmari potuisset.

Quo igitur tempore Lucilius adolescens in celebratam illam Scipionis et Laelii perveniebat familiarita-

---

1 p. 70 sqq. 160.

tem, jam illa non amplius latebat vitae morumque commutatio. Scipioni, cui non minus incolumis quam gloriosa vita obtigerat, Numantiâ redeunti inimicitiae, contentiones, insidiae parabantur, atque ejus eximia virtus tantam brevi invidiam civium excitabat, quae non nisi nece ejus extingui posset. Atque haec quidem gravissima calamitas ut graviter commovisse Lucilii animum atque incredibili viri desiderio, dolo necati, affecisse censenda est, ita haud dubie studio eum incendit, ut istas injurias, quibus invidi Scipionis extremum vitae curriculum petiissent, ulcisceretur. Inde factum, ut superior nostra de personis Lucilianis disquisitio haud raro nos coëgerit ipsius Scipionis meminisse, vel Metellum ludentis et castigantis, vel Carboni fortiter resistentis, vel Cottae vitia perstringentis, vel exponentis improbos Claudii Aselli mores. Sed quamvis ingenua indignatione motum in istorum detegendis moribus facinoribusque patefaciendis versatum fuisse apparet, quamvis Metelli amicitiam, qui displicuisset Scipioni, in hujus gratiam repudiavit, quamvis, sagaciter omne vitii ac turpitudinis vestigium odorans, ingenii humani latebras nudavit, quamvis tristi versu scurras et nepotes et nebulones laesit, tamen multum abfuit ut semper in hoc uno argumento maxime ingrato elaboraret.

Meminimus, studiose eum omnia, quae in virtutis definitionem dici a philosophis solerent, paucis versibus collegisse et enarrasse, eaque fuisse Ciceroni exemplo, unde hic, Panaetium secutus, vivendi officia traheret [1]. Lau-

---

1. p. 79, 161. Cf. 184.

davit igitur et commendavit, cujus se tulit fortissimum custodem rigidumque satellitem, virtutem, in eaque celebranda haud minorem fortasse quam in notanda improbitate operam posuit. Neque enim quae brevissime ad definiendam virtutem composuerat ac concinnaverat, missa videtur fecisse. Etenim Lactantius, qui Lucilianos de virtute versus servavit, suas singulis definitionis partibus dubitationes opponens « omnia, ait, eorum philosophorum praecepta pertinent non ad vitam homini comparandam, sed ad quaerendas vel ad augendas opes, honores, gloriam, potentiam, praecipiuntque quibus modis res familiaris quaerenda sit, quia vident male quaeri solere. » Quae postquam indicavit philosophis propria, addidit ea, quae praeterea communia his cum Lucilio essent. « Sed enim (divitiis pretium persolvere) poëta (Lucilius) et illi omnes, quos secutus est, putaverunt, recte opibus uti, hoc est frugi esse, non instruere convivia sumtuose, nec largiri temere, non effundere in res supervacuas aut turpes rem familiarem. » Magnopere dolendum est, non indicasse Lactantium, e quo satirarum libro longiorem illum Lucilii de virtute locum descripserit. Verum huic silentio conjecturâ videmur nobis occurrere posse. Constat enim libro XXV de parcimonia agere instituisse, sive potius *praemonuisse*, ita ut doceret gulae non esse indulgendum ventremque coarctandum. Ad eum igitur locum praeter illa, quae de sumtuariis legibus exposuit[1], pertinuerint quae,

---

1 p. 22, 192.

innuente Lactantio, ad illustranda illa *divitiis pretium persolvere posse* de frugalitate, de largitione, de re familiari recto usui adhibenda fusius explicuit. Sed pergit Lactantius: « *Commoda praeterea patriae* — Sublatâ — inquit — hominum concordiâ, virtus nihil est omnino. Quae sunt enim patriae commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? Id est fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere meliora. — Id ipsum prodesse quid sit, ignorant, qui nihil putant utile, nihil commodum, nisi quod teneri manu potest; quod solum teneri non potest, quia eripi potest. Haec itaque, ut ipsi appellant, bona quisquis patriae acquisierit, hoc est, qui eversis civitatibus gentibusque deletis aerarium pecuniâ referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in coelum: in hoc putatur summa et perfecta esse virtus [1]. » Haec ille stomachans. Quae nos perpendentes, facile in eam nos adduci sententiam patiemur, ut putemus, explicationem eam non e Lactantii ingenio exstitisse, sed illam hausisse eum ex ipsa uberiore, quam poëta instituisset, virtutis commendatione. Quae qualis fuerit, jam suspicari placebit.

Scipionis Aemiliani vitam et laudes a multis commendatam fuisse, veterum testimoniis patet. Ipse Laelius Q. Tuberoni, Africanum avunculum laudaturo, laudationem scripsit. Laelii quoque oratione Q. Fabius Maximus in mortui Scipionis laudatione usus dicitur [2]. P. Rutilius Rufus videri potest vi-

---

1 *Inst. Div.* VI, 6, 19.

2 *Cic de Orat.* II, 84, 341. *Schol. Bob. ad orat. p. Milon.* 7, 2 p. 235 Orell.

tam ejus scripsisse [1]. Idem praeter Plutarchum [2] alios instituisse, inde patet quod Gellius libros memorat, qui de vita ejus compositi ipsius aetate legebantur [3]. Sed Rutilio ejusdem operis aemulum adjungi videmus Lucilium. Ad illa enim Trebatii ad Horatium verba:

Attamen et justum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius — [4]

haec interpres: « Si non potes gesta Caesaris scribere; at potes justitiam et fortitudinem, ut Lucilius Scipioni fecit, qui vitam illius privatam descripsit, Ennius vero bella [5]. » Quae verba si cum his Acronis confers: « si res bellicas ejus non poteras describere, attamen justitiam et fortitudinem animi ejus laudare poteras, sicut Scipionis a Lucilio vita laudata est » facile credas, postrema verba *Ennius vero bella* non esse interpretis posse, sed aliena manu superioribus adjecta. Verum haud aliud voluisse interpretem patet: nam *Scipiadam* eum intelligit, qui Anniba-

---

1 *Isid. Origg.* XX, 11. Cf. *Majans. Comm. ad* XXX *JCtorum fragm.* II p. 16. Vulgo leg. de vita sua, sed in *Ed. Reg. Madrid.* de vita Scipionis.

2 *Plut. Vit. Ti. Gr.* 21.

3 *Gell.* III, 4. *C. Sigonius* vitam Scipionis scripsit. Cff. ejus *Opp.* p. 1072 sqq.

4 *Sat.* II, 1, 16.

5 *Comm. Cruq.* p. 407. *Tertull. Apol. adv. Gent.* c. 11 Horatium non respexit scribens: *Quis ex illis Diis vestris gravior et sapientior Catone? justior et militarior Scipione?* Fortitudo animi et constantia intelligenda apud Horatium: quippe opposuit *Caesaris invicti res.*

lem, ex Italia revocatum, vicit. Contra ad ejusdem satirae versum 66 idem notat, posteriorem Africanum Numantinum intelligendum esse. Hinc factum, ut multi putarent, Lucilium petenti Africano minori ut avi sui, Africani majoris, privatam vitam scriberet, gratum fecisse. Sed dubitatum est ab aliis, quoniam nulla fuisset causa Scipioni, cur id suscipi a poëta tantopere cuperet, nec probabile sit ea superfuisse monumenta ac testimonia, quibus hic ad scribendam ejus vitam, qui pridem obiisset, uteretur [1]. Mihi quidem non Scipio Aemilianus auctor fuisse Lucilio videtur, ut domesticam ac privatam prioris Scipionis vitam versibus mendaret, sed ipse sponte sua gravissima de causa et cupivisse et perfecisse; quippe qui illam temporis rationem et illius Africani personam aptissimam existimaret, quam suis aequalibus commendaret. Neque vero scribere illa meditanti ipsa materia deesse potuit, utpote non in domesticis rebus versato, sed in iis potissimum virtutibus ejus describendis, quae praeter bellicam virtutem eum illustrassent, justitiâ ac constantiâ. Privatam enim vitam non publicae sed militari opponi videmus. Quapropter nondum cum iis facere me posse profiteor, qui eas virtutes, quibus eluxit in republica major Scipio, Lucilium propterea negent versibus celebrasse, quod aptiore et illustriore in loco positae explicataeque ab Ennio fuissent, qui eas singulari libro ornasset. Tamdiu autem me tenebit veteris interpretis auc-

---

1 Cf. *Varges Quaest. Lucil* IV.

toritas, quam firmat Annibalis in Lucilii fragmentis mentio [1], quamdiu illam auctoritatem gravior ratio non sustulerit aut labefecerit. Quid igitur? inquies; Scipionis Aemiliani disertam ac diligentem mentionem a Lucilio factam esse negabis? Ego contra persuasissimum mihi habeo, de hoc non minus fuse studioseque quam de illo scripsisse eum. Quodsi *sapiens* ille a Trebatio appellatur [2], cujus in eo maxime fuerat perspicua prudentia et consilium, quod non bella sed virtutes prioris Scipionis descripsisset, quanto dignior eadem appellatione idem censendus est, qui aequalem atque amicum suum plurimorumque beneficiorum memoriâ sibi maxime devinctum virum celebravit! Fecit autem jubente atque impellente animo gratissimo; sed ut magis de industria hoc officio fungeretur, haec causa ei fuit, quod illa *virtus Scipiadae* una maxime erat accommodata, in quam tanquam in speculum inspicerent cives sui. Itaque eodem proposito utriusque Africani virtutes omnium cognitione et admiratione et vero aemulatione dignissimas, versibus exposuit. Neque vero id uno tenore aut singulari satirarum libro instituit atque absolvit [3], verum, ut ferebat animus, suadebat locus, urgebat necessitas, earum subinde memoriam instauravit, prouti suae

---

1 *Fragm.* XXVI, 24. XXIX, 13. Cf. sup. p. 185

2 Sup. p. 76. Alio sensu *Ennius* sapiens dictus *Hor. Ep.* II, 1, 50.

3 *Lersch* sine causa putavit, uno satirarum libro hoc argumentum comprehensum fuisse, qui Scipio inscriptus esset (*Zeitsch. f. Alt.* 1837 p. 1047). Cff. *Varges l. l. Düntzer l. l.* p. 11.

ipsius vitae fata chartis illeverat variis locis varia. Jam ut, unde profecti sumus, redeamus, quisquis attentius illa, quae Lactantius e Lucilio hausta posuit nosque retulimus, verba legerit, consentiet ea unice in Scipionem quadrare, qui Carthaginem et Numantiam delevit, ingentes in urbem divitias invexit, auxit imperium prolatis finibus, vectigalia meliora fecit. Quare illa virtutis definitione, Albinum compellans, usus esse videtur, ut ei deinceps Scipionem, tanquam nobilissimum laudatae virtutis exemplum, ob oculos poneret et digne commendaret. Atque inde fortasse initium ejus laudandi duxit. Hoc sane decebat eum, qui uni virtuti et virtutis amicis aequum se profitebatur. Lubet autem vestigia persequi, quae in fragmentis Scipionem Aemilianum spectare videntur.

In multis quae Scipioni jam seniori Lucilius adolescentulus debuit, sine dubio illud fuit, quod linguae Latinae singularem peritiam mature consequebatur. Scipioni enim ut haud exiguam laudem eloquentia attulit, qua sic inclaruit in aequalibus, ut cum Catone et Laelio velut Atticus Romanorum haberetur [1], ita ejusdem magnopere celebratur accurata Latini sermonis cognitio. Nam quum communis illius, qua floruit, aetatis laus esset Latine loquendi, tamen constat omnium aetatis suae purissime locutum esse Scipionem [2]. Quae Lucilii deinde in hoc linguae literarumque studio industria ac diligentia fuerit, intelligitur inde, quod in libro satirarum nono de variis

---

1 *Cic. Brut.* 21. *Quint. Inst. Or.* XII, 10.

2 *Gell.* II, 20, 5.

grammaticae rhetoricaeque partibus disputavit et critici munere in existimandis poëtarum et oratorum operibus functus est [1]. Ad haec autem studia eximie ei profuisse censendus est Scipio, eumque excitasse ut ad certas leges fluctuantem adhuc linguae Latinae rationem revocaret. Hoc enim Quintiliani de Scipione testimonium est: « Quid dicam *vortices* et *vorsus*, ceteraque ad eundem modum, quae primo Scipio Africanus in e literam secundam vertisse dicitur? » [2] Alterum Festi: « *Rederguisse* per e literam Scipio Africanus, Pauli filius, dicitur enunciasse, ut idem etiam *pertisum*, cujus meminit Lucilius cum ait:

Quo facetior videare et scire plus quam ceteri,
Pertisum hominem, non pertaesum dicere
ferunt, nam genus. »

Quae verba adversarii fuisse videntur, Scipioni sermonis diligentiam invidiosius objicientis.

Scipionem porro Lucilius memoravit his versibus:

— Corneliu' Publiu' noster
Scipiades dictum tempusque intorquet in ipsum
Otî deliciis, et luci effictae atque cinaedo
Et sectatori adeo ipsi suo, quo rectiu' dicas.
Ibat forte domum, sequimur multi atque frequentes [3].

---

1 Sup. p. 172, 181.

2 *Quint. l. l.* I, 7.

3 *Festus v.* Scurra. *Müller* ita tentavit:

— Corneliu' Publiu' noster,
Scipiadam dico, tempus quom torqueat ipsum
Oti deliciis, cum lucifuga atque cinaedo et
Sectatore adeo ipse suo (quo rectiu' dicas).

Ei quotidiani Scipionis mores describi videntur. Cf ejus *Ed. Festi* p. 406. *Dousa ad Luc.* p. 100.

Horum versuum ut aliquatenus sensum assequamur, tenenda sunt quae Festus monet: « Scurrae vocabulum Verrius ineptissime aut ex Graeco tractum ait, quod est σκιρτάζειν (al. σκυῤῥάζειν), aut a sequendo; cui magis assentitur, quod et tenuioris fortunae homines et ceteri alioqui, qui honoris gratia prosequerentur quempiam, non antecedere sed sequi sint soliti, quia videlicet dicat Lucilius: *Corneliu'* —. Cum secutos videri velit ob eorum jurgia, non ob adsuetum officium. » Scaliger, qui versus Lucilii corruptos aliter constituit, putavit Scipionem intervenisse rixae et dictis mollis cujusdam hominis. Recte Barth vocabulum *scurra* in versibus Lucilii desideravit; quod quum ei latere videretur in voce *effictae*, ita restituere voluit, ut legeretur: *Orci deliciis*, *culici*, *scurrae* — [1]. Quae ratio quamvis displiceat, tamen fatendum erit vix illud vocabulum in iis quae exstant corrumpi potuisse. Simplicissimum esse ac verisimillimum puto, ultima ita suppleri oportere:

— *multi atque frequentes*
Scurrae —

Facile excidere hoc postremum vocabulum potuit, siquidem ultimum versum, literâ *s* clausum, excipiat *cum*. Itaque haud inepte putabimus, in his scurris qui loquens a Lucilio inductus sit, fuisse Pantolabum istum qui proprio nomine Mallius diceretur. Nec quemquam offendet, quod illi semet ipsos *scurras* appellent, modo reputet, fictum a satirico sermonem illis tribui. Carpit ergo Verrium Festus, falso arbitratum scurras istos honoris causâ Scipionem

1 *Adv.* XXVII, 2.

prosecutos fuisse, quum nulla officii ratio sed rerum humanarum cura eos sequi jussisset, ut, quis jurgiorum istorum, in quae pertractus esset Scipio, eventus foret, intelligerent.

Praeter Aselli in Scipionem, quod supra attigimus [1], convicium, superest hic ipsius Scipionis jocus, quem servavit Cicero. « Ambigua, inquit, sunt in primis acuta atque in verbo posita, non in re: sed non saepe magnum risum movent: magis ut belle et literate dicta laudantur, ut illud Africani, quod est apud Lucilium:

Quid? Decius Nuculam! an confixum vis facere? inquit [2]. »

Affirmat Ciceronis interpres, fuisse qui Africani illud dicterium ad obscoenitatem turpitudinemque referrent; quod sibi quidem placere negat, quia nec obscoene loqueretur Scipio, nec obscoena inter faceta collocaret Cicero. Credit igitur, exortis aliquando rixis inter Decium et quendam cognomine Nuculam, illum multis verbis et acerbis huic illusisse. Tum vero Africanum dixisse: « quid? Decius Nuculam exagitat? » et conversum ad Decium interrogasse et terruisse: « an vis hunc hominem confixum facere? » Sic usum esse ambiguo, quia confixum facimus i. e. configimus *sermone*, configimus *mucrone* aut alia re [3]. Varie idem alii interpretati sunt, qui confixum cibi genus esse e concisis carnium frustulis putarunt. Sed nulla ratio magis placet eâ quam laudavimus. Decius et Nucula qui fuerint, incertum est.

---

1 p. 223.

2 *Cic. de Orat.* II, 62, 253.

3 *Strebaeus ad l. l.* p. 341.

Patet ex hoc fragmento, suas Scipioni dicendi partes in Lucilii opere fuisse. Sed apparebit maxime, quam immunis esset ille iis vitiis, quae apud Romanos brevi invalescebant, si brevem morum descriptionem Lucilianam repetiverimus. Quae quum ita absolvatur *insidias facere*, *ut si hostes sint omnibus omnes* [1], memorabile est quod Scipionem constat dicere solitum, *μὴ πρότερον ἀπαλλάττεσθαι τῆς ἀγορᾶς ὁσημέραι, πρὶν ἢ φίλον τοῖς ἀρχαίοις τινὰ προσπορίσαι νεώτερον* [2]. Cum hac benivolentia erga cives suos eas virtutes conjunctas habebat, quae vitiis istis maxime oppositae essent. Nam praeter *liberalitatis*, *temperantiae*, *abstinentiaeque* laudem, *candide*, *aperte generoseque* agere cum amicis, non aequalium instar in judiciis ac salutationibus haerere et *in foro se jactare* solebat, sed corpus et animum bonis artibus exercebat [3]. Alienissimum autem ab avaritia animum habuisse patet, quod Africanos et Laelios multi venalitii mercatoresque superarunt [4]. Praeterea *συναπεδήμει αὐτῷ φίλος μὲν εἷς, φιλόσοφος Παναίτιος, οἰκέται δὲ πέντε· καὶ τοῦ ἑνὸς ἀποθανόντος ἐπὶ τῆς ξένης, ἄλλον μὴ βουλόμενος πρίασθαι, ἀπὸ τῆς Ῥώμης μετεπέμψατο* [5]. Quum alii magna amicorum cohorte et servorum multitudine stipati in provincias irent et damno essent provincialibus [6], re-

1 Sup. p. 74.

2 *Aelian. Var. Histt.* XIV, 38. Cf. *Wytt. ad Plut. Mor.* VI, 2 p. 1125.

3 *Polyb.* XXXII, 11—16. Sup. p. 38.

4 *Quint. Inst. Orat.* IX, 4.

5 *Plut. Apophth.* p. 757. *Athen. Deipnos.* VI p. 273. *Val. Max.* IV, 3, 13. *Aurel. Vict. De vir. ill.* c. 58.

6 Sup. p. 188, 218.

pudiabat istum morem Scipio, domi forisque eandem simplicitatem et amabilitatem tuens [1].

Ceterum vero non dubium, quin praeter *Scipionis virtutem* celebrata quoque ab eo sit *mitis Laelii sapientia.* Nam amicorum par illud fuerat maxime illustre atque admirabile, quale adolescentis Lucilii animum tangere et movere et erigere debuerat, imo inflammare virtutis honestique amore, ita ut insigne pietatis gratique animi monumentum condidisse dicendus sit usurpandâ propagandâque eorum virorum memoriâ, qui sibi ipsum benivolentiae amorisque testimoniis omni ratione devinxissent, quorumque alter commendari satis digne sine altero non potuisset. Quodsi illa meminerimus, quae e Cicerone de Laelio Gallonii increpante ingluviem memoravimus [2], jam non obscurum erit, ejus quoque disserendi partes quasdam fuisse. Praeterea suspicamur, verbis Ciceronis: « non ille — Laelius eo dictus est *sapiens*, quod non intelligeret, quid suavissimum esset (nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatum), sed quia parvi id duceret» effici posse, Lucilium festivitatis suae more lusisse in illa duplici *sapientiae* notione, et Laelium ab omni parte sapientem proponere instituisse. Quod autem eo loco distinguitur *libenter coenare* et *bene coenare* [3],

---

1 *Front. Strateg.* IV, 3, 9. *Aemilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane, vesci solitum.* — *Plut. Vit. Ti. Gr.* 21. Σκιπίων, ὁ Ἀφρικανὸς, οὗ δοκοῦσι Ῥωμαῖοι μηδένα δικαιότερον μηδὲ μᾶλλον ἀγαπῆσαι.

2 p. 225.

3 *Xenoph. Mem.* I, 3, 5 (cf. 6, 2) Socratem dicit tantum cibi sumsisse, quantum ad ἡδέως coenandum sufficeret. Discrimen autem, quod indicat Laelius, ab Epicureis et Stoicis re-

hoc ad simplicem vivendi rationem, quae Laelii fuit, referendum est. Interprete enim Cicerone, nihil in voluptate quum poneret, recte, frugaliter, honeste coenabat. Erat igitur dignus, qui exemplo civibus tum frugalitate tum ceteris, quibus inclaruit, virtutibus esset.

Itaque, ne semper in tristi et abjecto argumentorum genere Musam suam versari pateretur, tanquam laetiore spectaculo hac Scipionis et Laelii instaurandâ memoriâ praedicandisque virtutibus lectorum animos recreavit et exhilaravit Lucilius. Quantam fecerimus jacturam, quibus illas virtutis sapientiaeque imagines, fide et cum animi affectu expressas, intueri non liceat, me tacente intelligitur. Nec tamen facile quisquam dubitabit, nonnulla ex deperdito Lucilii opere servata nobis esse. Petierunt enim hinc sine dubio Cicero, Horatius hujusque interpres ea, quae de Lucilii pueritia et adolescentia memoravimus [1]. Neque enim abesse illa ab eo loco potuerunt, quo suam poëta ineuntem aetatem cum singulari illorum, quos coluerat, amabilitate conjunctam recordabatur.

---

peti debet, quorum contentio faciebat ut opus esset ea distinguere.

1 Sup. p. 41.

QUIS LUCILIANI OPERIS HABITUS FUIT? QUID IN EO MUTATUM?

Attigimus jam aliquoties Lucilii opus. Quod argumenti genus eo complexus, quibus in rebus describendis potissimum versatus sit, quos viros probabile sit eum perstrinxisse, quos eximie laudaverit et exempli loco proposuerit, partim veterum testimoniis partim reliquiarum indiciis usi, consideravimus. Praeterea singulorum librorum, quibus satiricum opus constitisse dicitur, quoad ejus fieri potuit, accuratam expositionem edidimus. Sic factum est ut ejus certa quaedam notio mentem nostram subiret. A materie igitur ad habitum et formam progrediendum erit.

Non temere in eam aliquando incidi opinionem ut arbitrarer, Lucilium satirarum opus bipartito divisisse, ac priorem partem Deorum concilium, posteriorem Collyram inscripsisse [1]. Movebar eo, quod a rhetoricae ad Herennium scriptore *priorem* librum laudatum inveneram; cujus mentionem quum frus-

---

1 *Disp. de Acl. Stil.* p. 38. Liber decimus sextus Collyra inscriptus fuisse dicitur.

tra tum quidem alibi quaesivissem, in eam sententiam facile ducebar ut putarem, ea aetate, qua scripti essent libri ad Herennium, nondum in *triginta* libros satirarum opus Lucilianum distributum fuisse, sed *duabus* partibus constitisse, quarum singulas postea grammatici in *quindecim* libros divisissent. Reprobarunt hanc conjecturam Lersch et Düntzer; alter suos quibusque libris titulos fuisse existimans, ac negans sub eos titulos, quos laudassem, apte revocari posse cuncta argumenta, quae Lucilius datâ operâ exposuerit [1]. Alter *in priore libro* interpretatur: in principio satirarum libri [2]: quod quam parum satisfaciat, intelligitur. Etenim quum, triginta satirarum libros a Lucilio editos esse, ceteris consentiat, quaeritur e *cujus* libri principio rhetor, qui ad Herennium scripsit, versum, quem laudavit, petierit. Qui si universi operis rationem habere voluisset, *in priore opere*, non *in priore libro* scripsisset. *Prioris* autem libri, quod me tum latebat, mentio quoque facta invenitur ab interprete, qui ad Horatii versum *Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem* notat: « pro hominibus vilibus: nomina sunt luxuriosorum, quos etiam in *priore* libro Lucilius carpsit [3]. » Dousa putavit, aut *libro secundo* pro *priore* reponendum, aut certe illa fragmenta, quibus Nomentani fit mentio, ad librum priorem transferenda esse [4]. Difficile est, certi ali-

---

1 *Zeitsch. f. Alterth.* 1837 p. 1047, 1839 p. 406.

2 *Krit. u. Erkl. der Sat. d. Hor.* p. 10.

3 Sup. p. 166, 229.

4 *Ad Lucil. Fr.* p. 112.

quid statuere; neque enim quidquam indicii de primo Luciliani operis habitu superest, nisi quod ejus *satiras* familiaribus suis Archelaus aliique legendo commentandoque notas fecisse dicuntur. Fieri non potuit ut, quum primo satirarum libro duplex deorum concilium descriptum sit [1], prior ejus libri pars, qua prius concilium expositum est, universe *prior liber* diceretur, quia dici oportuerat *prior liber primus*. Quapropter, re prudenter considerata, mihi facile persuadeo, Lucilium plurimas diversi argumenti satiras composuisse, easque cunctas *duobus* libris comprehendisse, quorum singulos iis titulis ornaverit, qui non omnibus cujusque libri satiris, sed primae cujusque satirae convenirent. Sic prior liber dictus ab eo erit Deorum concilium, alter Collyra, atque jure existimabimus, illum L. Aelio Stiloni, Fundio villico alterum inscriptum fuisse.

Quum igitur haec sola ratio pateat, qua de antiquissimo Luciliani operis habitu judicium feratur, quaerendum, quî factum sit ut *triginta* satirarum libri distingui coeperint. Revocamur ita ad locum supra e libello *de illustribus grammaticis* laudatum [2]; quo in Romanis fuisse dicuntur, qui carmina, parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent. Ibi primum de Naevii Punico bello mentio fit, quod C. Octavius Lampadio non solum explicuit, sed etiam, unico volumine et continenti scrip-

---

1 Sup. p. 163.

2 p. 46, 137.

tura expositum, divisit in septem libros. Deinde Ennii annales memorantur, quos maxime probabile est a Q. Vargontejo tam in varios libros divisos quam publice pronunciatos fuisse, iisdemque Lampadio emendandi curam adhibuit [1]. Sequitur Lucilius, cujus satiras privatim explicare instituere Laelius Archelaus et Vectius Philocomus. Num iidem alio quam interpretum munere functi sint, non constat. Nec sane verisimile est, in *diligentius retractandis* [2] satiris eos versatos esse, quippe omnis eorum cura paucis discipulis impendebatur. Magis placet existimare, postea demum, quam recitari publice Lucilii satirae coeperunt, non tantum emendatiores prodiisse — quod Catonem aggressum esse ironice ait Horatius [3] — sed etiam pro argumenti varietate in libros distributos. Quapropter non alienum videri poterat, his libris pro argumenti, quod agebatur, genere, congruos titulos imponere; quin necessarium fere dicatur, siquidem, quae antea singulari libro ac communi titulo comprehensae fuerant quindenae satirae, disjunctae magis propriam inscriptionem flagitabant. Hinc explicandum, cur Fornix peculiaris libri titulus habeatur, e plurimis unus servatus [4]; mirandum vero contra, quidni ceteri libri suis quique titulis, si suos

---

1 *Gell.* XVIII, 5.

2 Hanc dictionem (*Plinius*) *dial. de oratt.* c. 3 explicat, ubi legitur: *An ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares, et sublatis, si quae pravam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem* —.

3 Sup. p. 146. Cf. 123, 138.

4 Eod. p. 174.

singuli nacti fuerunt, a grammaticis laudentur, quos constat librorum tantum numerum indicasse. Quod vero praeter Aelium Stilonem et Fundium, quorum nominibus singulos libros inscripsit, Albinum in virtutis definitione compellavit[1], non movet difficultatem. Nam quum ex alio argumento subito ad aliud transiret, factum videtur, ut prout argumenti ratio eum moneret, ea, quae scriberet, amicis ac familiaribus dedicaret. Nihil vero hinc efficitur, quo nostre de bipartita carminis divisione sententia perturbetur.

Verum dubitatum esse videmus, an opus Lucilii unquam *triginta* libris compositum fuerit. Etenim legitur apud Varronem: « Loca naturae secundum antiquam divisionem prima duo, caelum et terra. — A qua bipartita divisione Lucretius suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc:

Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus. »[2] Lucretii carmen quum sex libris constet, nec plures comprehendisse censeatur, suspectum interpretibus Lucretii nomen fuit. Jam *Lambinus*, *Scaliger*, *Gifanius* corruptum esse suspicati sunt, et Lucilium reposuerunt. Recepit in Varronis textum *Müllerus*, ductus crebra illorum nominum confusione, quam apud eundem auctorem l. VII, 94 indicavit. Docuere alii, Lucretii mentionem a Varrone fieri non potuisse, quippe qui, aequalium testimoniis raro uti solitus, Lucretium, plus viginti annis ipso minorem, testem non adhibuerit, neque ejus carmen memoraverit, quod

---

1 Sup. p. 44, 161.

2 *De L. L.* V, 17.

confectum demum fuerit post librorum de lingua latina scriptionem [1]. Idem visum esse Ausonio Popmae cognovi, Lucilium legendum esse statuenti, quem scripsisse ait libros satirarum ad numerum et ordinem tribuum. « Fuere autem — pergit — tribûs initio una et viginti institutae: postea quatuordecim aliae accesserunt, ita ut earum numerus a. U. C. 512 esset triginta quinque. Hac ratione fortasse Lucilii poëma fuit divisum in duo volumina; alterum habuit libros XXI, quos Varro hîc adducit; alterum libros XIV. Sed grammatici posteriores unum σῶμα fecerunt, qui generatim citant ejus libros XXXV [2]. » Quam ingeniosa ac speciosa haec sit conjectura, patet. Veruntamen, si vera esset, quid causae putaremus fuisse cur, qui plurima fragmenta ex libris XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX et XXX laudavit, Nonius nulla servaverit e postremis quinque? Nam quod satirarum libri XXXVI, XXXIX, XLIII apud eum et alios memorantur, animadvertit *Dousa* incuriâ librariorum factum esse, ut in numerorum notis incerta saepius ratio obtineat, quod apparere dicit si quis emendatiores codices cum minus bonis contulerit: quae enim fragmenta in *his* e libris XXXVI et XXXIX laudentur, eadem in *illis* ad libros XXVI et XXIX relata inveniri [3]. Alia autem obsunt; nam si illa, quam Popma voluit, bipartita operis divisio sic distincta ab auctore fuisset, ut antiquarum et novarum

---

1 *Fuhrmann Handb. d. Class. Lit* III p. 158.

2 *Ed. Bip.* II p. 10, 318.

3 *Ad Lucil. Fr.* p. 99.

tribuum ratio in librorum numero haberetur, exspectari potuisset, singulis eum libris singularum tribuum plenam mentionem fecisse, et eos potissimum titulos praefixisse, qui tribubus responderent. Quod factum non esse inde patet, quia *Deorum concilium* et *Collyra* plane alieni tituli sunt. Parum autem verisimile est, Lucilium, quem poëtam cognovimus ingenii vi ac fervore florentem, singulas deinceps tribùs satiris suis arripuisse, or line et modo omnia disposuisse, ut carmen ederet quod ipsius urbis Romae descriptionem accuratam contineret, et in ejus quisquiliis ac nebulonibus notandis versaretur. Quod nisi statuatur, ineptum sane negotium fuerit, ad tribuum numerum librorum numerum exigere velle. Veri autem similius est, *urbanas* eum et *rusticas* tribùs separatim aggressum esse, idque patere opinor collatis libri quarti et quinti argumentis supra indicatis. Quid igitur? Num defendemus antiquam et communem codicum scripturam in Varronis loco Lucretium habentium? Müllerus, etsi receperit Lucilium, tamen negat locum sibi, eo nomine restituto, persanatum videri. Mihi secus videtur et facile mihi persuadeo, Varronis aetate Lucilii satiras in *unum et viginti* libros divisas fuisse? Qui ad Herennium de rhetorica scripsit, opus suum edidisse a. 670 (84), probabilitatem secuti, conjecimus [1]; a quo quum *prior* Lucilii liber memoratus inveniatur, manifestum esse arbitrati sumus, eo tempore bipartitam, quam ab ipso poëta inductam significavimus, divisionem obtinuisse. Libri Varronis de lingua Lati-

1 *Disp. l.* p. 109.

na, si Müllerum audimus, accuratum investigatorem, annis 708 (46) et 709 (45) inchoati et partim elaborati fuerunt[1]. Satis igitur longo intervallo, quod inter editos Herennianos libros et scriptos de lingua Latina libros intercessit, divisio nova totius operis in unum et viginti libros induci potuit; quam tamen divisionem quare inducere placuerit, prorsus obscurum est. Teste autem Horatio primus Valerius Cato emendare male factos Lucilii versus paravit; quem iccirco consilium agitasse satiras ejus *diligentius retractandi* patet. Hoc quamvis ironice Horatius dixerit, probe sibi conscius, rem infiniti ac fere desperati laboris citius Catonis mentem subire, quam ab eo institui aut perfici posse, tamen, quod supra monuimus, publice recitandi Luciliani operis morem ille in primis censendus est fuisse qui inchoaret[2]. Quare haud abs re videretur existimare, circa Catonis aetatem, i. e. amplius decennio post laudati Varroniani operis scriptionem, obtinuisse et post invaluisse operis in *triginta* libros distributionem, quae superiorem in unum et viginti libros divisionem, jam satis ipsam publice recitantibus commodam, commoditate ipsa superaret. Veruntamen in multo seriorem aetatem hanc incidere, collata docere videntur varia grammaticorum testimonia, e variis Lucilii libris petita. Quippe quum Varro, qui nusquam satiras memorat, simpliciter Lucilii nomen ponat, quoties ex ejus satiris versum laudat, Quintilianus uno loco librum IX refert; item Velius Longus et Terentius Scaurus. Gel-

1 *Ed. Varr. Praef.* p. IV, V.

2 p. 146.

lius vero, qui sedulo fere librorum numeros adscribit, l. I, III bis, V, VII, IX, XI bis, XV ter, XVI, XX laudavit, Censorinus l. IX vel XVI, Festus l. II et fortasse VIII [1], Donatus l. I, II, III, V, VI, X, XIV, XXII, Diomedes l. I, XII bis, Charisius l. I, II, III, IV, V, IX, XIV, XV, XVI, XIX, XXV, XXIX, (XLIII). Sequitur Nonius, qui fere ex omnibus triginta libris fragmenta servavit. Haec si comparamus, nihil quidem inde certi petemus, nisi quod *vigesimus secundus* liber primum a Donato laudatus est, quum priores grammatici ultra *vigesimum* nullum memoraverint. Nullus autem e prioribus illis plura, adscriptis librorum numeris, testimonia e Lucilio hausit, quam Gellius, qui ipse *vigesimi* mentionem fecit. Suspicio igitur est, eadem illum recensione usum esse, quae Varroni sola innotuit; alteram autem triginta librorum inter Gellii et Donati aetatem incidisse. Quodsi vero animadvertimus, quantis laudibus Lucilius Gellii tempore, testibus hujus ipsius libris, floruerit, multumque abfuisse ut recitatio satirarum ejus publica refrixisset [2], verisimilius quodammodo fit, propius Gellii quam Donati aetatem quaeri posteriorem recensionem oportere. Ceterum, qui primus Luciliani operis versus apud Varronem

---

1 Sic enim v. querquera legitur ex probabili Ursini supplemento: *Lucilius libro: jactans me ut febris* —. Libri numerus aperte latet in verbis, et legendum *libro octavo: jactans* —.

2 Cf. sup. p. 82, 142, 148. Cf. *Gell.* XX, 8, 1. *Nonne Lucilium, inquit Annianus, nostrum meministis dicere. Luna* —. Gellii testimonium referri potuerat sup. p. 127.

legitur, etsi Lucretio de rerum natura scribenti unice convenire videatur, tamen a Luciliana poësi non alienus est, quem vidimus physica memorasse [1].

Videamus jam, quo tempore satiras suas scripserit, aut, si mavis, dictaverit Lucilius. Inchoasse eum nonnulla, quo tempore in castris ad Numantiam versaretur, supra statuimus [2]. Exordium autem illud de *aetheris et terrae genitabili tempore quaerendo* mire adolescenti convenit, eo ipso tempore Scipionis et Rutilii de coelestibus rebus sermonibus praesenti. Quomodo vero huic exordio proxima apta fuerint, et poëta Deorum concilium induxerit, non patet. Fortasse celebratae rerum coelestium investigationi opposuit celebratiorem et homine digniorem et vero utiliorem de vita et moribus humanis disquisitionem, ejusque praestantiam eo demonstravit, quod ne Diis quidem humanarum rerum cura displiceret. Quum vero acceperimus, primo libro actum esse inter Deos de Lupi interitu, i. e. quo supplicii genere dignus esse iste videretur, neque interpreti fides neganda visa sit P. Rutilium Lupum exhibenti, qui circa tempora belli Numantini natus est [3], necesse est existimemus, eum quae prius de deorum concilio instituisset, postea sic mutasse ut Lupus, princeps persona, accederet vel potius praemitteretur iis, quos jam commemorasset antea. Hinc vero nihil efficitur ad con-

---

1 p. 195 Cf. p. 40.

2 p. 16, 78.

3 Sup. p. 164, 199 sqq.

stituendum tempus, quo liber satirarum primus conditus sit. Sed aliquid lucis peti possit e Lactantio scribente: « Carneades, Academicae sectae philosophus, cujus in disserendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui nescit, ipsum ex praedicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima ostendit non posse id explicari, *nec si Carneadem ipsum Orcu' remittat.* »[1] Manifeste haec pertinent ad primum librum: Carneades autem eodem, quo Scipio, anno 625 (129) obiit. Quare post eum annum absolutum fuisse intelligitur, etiamsi vivo Scipione inchoatus fuit.

Plinius in historia naturali refert: « Pavimenta credo primum facta, quae nunc vocamus barbarica atque subtegulanea, in Italia fistucis pavita: hoc certe ex nomine ipso intelligi potest. Romae scalpturatum in Jovis Capitolini aede primum factum est post tertium Punicum bellum initum. Frequentata vero pavimenta ante Cimbricum magnâ gratiâ animorum, indicio est Lucilianus ille versus: *arte pavimenti atque emblemate vermiculato.* »[2] Versum hunc alii, qui praecesserat, conjunctum edidimus supra, ac retulimus ad inimicitias quae Scaevolae cum Albucio intercesserunt[3]. Scripta igitur illa fuerunt a Lucilio post a. 633 (121), quo Scaevola Asiae praetor fuit. Accuratius vero aliquis putet tempus notari a Plinio, qui, pavimenta *ante Cimbricum bellum* frequentata

---

1 *Inst. Div.* V, 14, 3. Vidit jam *Clint. F. H.* I, 427

2 XXXVI, 61, (24).

3 p. 218.

tradens, ignota nobis indicia secutus videatur; bellum autem illud quum geri coeptum sit a. 641 (113), illam Scaevolae narrationem mandatam literis fuisse a poëta arbitretur inter a. 121 et 113. Verum animadvertimus, Plinium non definite loqui; nam postquam bellum Punicum tertium memoraverat, promtius ei fuit Cimbricum memorare quam praeturae Mucianae annum. Neque vero amplius quidquam inde patet, nisi quod haec a Lucilio relata esse censeri non possunt ante a. 121. Quum autem jocum illum libris de oratore Cicero finxerit a Crasso familiaribus ex Lucilii libris communicatum, perspicitur conscriptum fuisse ante a. 662 (92), quo sermones illi habiti dicuntur.

Parum igitur de tempore, quo singula exposuit poëta, constat. Nec video quid addi possit iis quae significavimus. Illud universe affirmandum restat, et mature ingenii vires carmine exercuisse, et ad extremam aetatem illa naturae facultate abundasse. Cujus rei documento est legis Liciniae et Calpurniae in opere mentio, quas vidimus a. 657 (97) et 686 (68) latas fuisse [1]. Neque vegetam ejus senectutem a carmine fundendo abhorruisse, testis est Horatius, omnem senis vitam tanquam votivâ tabellâ conscriptam patere affirmans [2]; quod non scripturus fuisset, nisi extrema vitae fata libris tanquam fidis sodalibus credidisset Lucilius.

---

1 p. 27, 29, 68.

2 p. 66, 178

SATIRAE ORIGO.

Plura dicenda habui, quam me habiturum esse tum divinabam, quum praefatione aditum ad hunc librum aperiebam. Dispositâ enim materiâ, quam mihi suppeditaverat veterum lectio, brevi intellexi, si recte de singulis, quae intermortuam Lucilii memoriam spectarent, existimare vellemus, in accurata rerum investigatione quantum praesidii esset futurum. In viam nos dedimus, quaerendi cognoscendique studio ducti. Quodsi diutius nonnunquam in explicando morati sumus, primum non nostrâ hoc culpâ accidit, longiorem tutioremque viam breviori sed periculosiori praeponentium; deinde vero hic uberioris commentationis fructus fuit, quod ea quae, quamvis disjuncta a nostro argumento essent, tamen non aliena viderentur, judicio saepe nostro cum iis, quae magis propria essent, submisimus. Ecce vero! huc delatis quum, si promissis stare velimus, indaganda nunc sit satirae origo, ut, quem locum Lucilius in ea Romanorum poësi tenuerit, tutius suspicemur, alteram hanc et amplam nobis disputandi materiem praeripuit Hermanni acumen, qui singular disquisitione

ad liquidum videtur perduxisse, quae contrariis eruditorum sententiis adhuc incerta fluctuabant[1]. Quam ubi legeram, persuasum mihi habebam, minus grammatici prudentiâ quam critici judicio et sagacitate rerum obscuritatem illustrari posse: quippe quum ante illum plurimi accuratae doctrinae viri in eandem quaestionem incubuissent et sententiam tulissent, ex sana, ut videbatur, veterum auctorum interpretatione profectam eorundemque auctoritate fultam, novam invenit Hermann explicandi viam, tam simplicem ut, quidni in eam sponte inciderint superiores, obstupescas. Versatur autem potissimum in distinguenda Enniana et Luciliana satira, quod discrimen majus fuisse, quam existimari soleret, docuit. Ponam igitur eorum, quae ille praestitit, summam; quibus, si quid secus sentiam, addam. Ante tamen de satirae origine aliquid monendum videtur.

Saturam fuerunt et sunt qui a Graeco vocabulo derivatam putent; Vossius a σατήρα i. e. σκάφη βοτρύων, Doederlein ab ἀθύρειν, quod a θορεῖν, θρώσκειν petit; idem saturam primâ significatione comparat cum ψαθυρὰ, ψαθύρμα[2]. Malo cum aliis arbitrari, non esse verbum Graecum, sed antiquo sermone Latino primum significasse cibi genus ex variis rebus conditum. «Satura est, ait Varro, ubi uva passa et polenta et nuclei pinei ex mulso conspersi: ad haec

---

1 *C. F. Hermann Disp. de satirae Rom. auctore ex sententia Hor. Serm.* I, 10, 66. Marburgi 1841.

2 *Voss. Etym. Vulp. de sat. Lat.* p 4. *Doederl. Lat. Synonym.* VI p. 319.

addunt alii et de malo Punico grana [1].» Mox lanx referta variis multisque primitiis, quae sacris Cereris inferebatur, a copia et saturitate rei *satura* dici coepit; quod lancium genus tractum fuisse a choris Liberi patris narratur [2]. Itaque antiquissima vocis notio illam Romanae gentis aetatem revocant, qua

Agricolae prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et conjuge fida
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi [3].

Simplicissima igitur quum vocabuli derivatio sit a *sat, satis, satur*, videndum quomodo genus poëseos eo insigniri potuerit.

Varro narrat, homines rusticos in vindemia incondita carmina cantare consuevisse, eodemque inconditorum versuum, qui Saturnium numerum referebant, genere cum sarcinatricum cantilenae, tum praeficarum naeniae constitere [5], ut praeter modos vel hilaritati vel tristitiae congruos, nihil certi discriminis esset. Pergit Horatius:

---

1 Ed. Bip. I p. 194. Cf. *Festus* v. Satura.

2 *Diom. Gr.* III p. 482, 483. *Comm. Cruq. ad Hor. Sat.* I, 1.

3 *Hor. Ep.* II, 1, 140 sqq.

4 *Nonius* v. sarcinatrices et praeficae. Cf. *Varr.* Ed. Bip. I p. 296. II, 313. *Macrob. Saturn.* V, 20 librum memorat vetustissimorum carminum, qui ante omnia quae a Latinis scripta sunt compositus ferebatur; in quo rusticum vetus canticum erat: *Hiberno pulvere, verno luto grandia farra, Camille, metes.* Cff. *Lersch* et *Dëntzer de versu, quem vocant, Saturnio* p. 61.

Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit :
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec jam saevus apertam
In rabiem verti coepit jocus, et per honestas
Ire domos, impune minax ; doluere cruento
Dente lacessiti ; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi ; quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi : vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti [1].

Itaque antiquissimae poësi sacrae, quam leviter attingit Horatius, mature accessit Fescennina licentia. Hi versus, ab urbe Etruriae Fescennia dicti, incompositi erant et rudes ut Saturnii, sed hoc habebant peculiare, quod *alternis* jaciebantur, et vel jocularia ac probrosa vel obscoena verba continebant. Magis rure quam in urbibus principio vigebant, et in celebrandis nuptiis praesertim adhibebantur, quum pueri obscoenis verbis novae nuptae aures obturarent [2]. Sed rustici illi et annui lusus, qui, simplices et innocui, festorum hilaritate parti et ipsi hilaritatis efficientes, *convicia festa* et erant et habebantur, non agrorum finibus

---

1 Cf. *Virg. Georg.* II, 385
Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt risuque soluto.
Ad quem loc. *Servius:* « i. e. versibus Saturnio metro compositis. Quod ad rhythmi usum vulgares componere consueverunt. »

2 *Varro* Ed. Bip. I, 261. II, 319 *Festus* v. *Catull.* LXI, 126.

continebantur amplius, sed urbium incolis placuerunt. Excesserunt modum sales et, mordendi proposito, nocere coeperunt; quippe contumeliosis atque acerbitate infamibus versibus petebantur nobiles et dignitate principes viri. Manifestum est, versus istos ἀμοιβαίους ab Horatio minacibus et mordacibus jambis conferri, eorumque vim et usum ita sensim percrebuisse Romae ut nemini, qui auctoritate et opibus valeret, parceretur. Diu duravit ille mos, neque licentiae in dies magis ingravescenti quidquam impedimenti objici potuit. Tum lege XII tabularum septima cautum, *sei quei pipulod ocentasit, carmenve condisit, quod infamiam facsit flacitiomq. alterei, capital estod*[1]. Sic abrogatus aliquamdiu, qui impune grassatus fuerat, *malorum carminum* usus. Verum quum ad quietem et securitatem nobiles et divites rediissent, nec sibi a malevolorum insidiis amplius timerent, qui rure in urbem translatus mos fuerat, idem urbe pulsus in castra confugit. Militaris factus est atque in triumphis solennis habitus. Licebat enim militibus, e bello reversis, in belli duces inconditos jocos jactare, et, si quid in certamine bellico peccassent illi aut severius in suos egissent aut victum tenuiorem suppeditassent, carmine objicere et expro-

---

1 *Cic. Tusc. Q.* IV, 2. *De Rep.* IV, 10. *August. De Civ. Dei* II, 9. *Arnob.* IV p. 151. *Festus* v. occentassint. « *Occentassint* antiqui dicebant, quod nunc *convicium fecerint* dicimus, quod id clare et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit; quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur. » Cf. de hac antiqua poësi *E. Munk de fabb. Atell.* Lips. 1840 initio.

brare; verbo, par erat laudandi et reprehendendi libertas. Quaesitum est, unde originem ceperit hic mos. Nihil vero facilius ad explicandum videtur; siquidem Romana juventus, conviciando assueta, quum abstinere domi jussa esset, foris abuti coepit. Hoc militare jocorum genus, quod ut rusticum et urbanum *alternis* usurpabatur, a Livio primum videtur memorari paulo ante leges XII tabb. latas: « Epulae instructae dicuntur fuisse ante omnium domos: epulantesque cum carmine triumphali et solennibus jocis, comissantium modo, currum (Quinctii dictatoris) secuti sunt[1]. » Attamen, ceteris Livii locis comparatis, patet milites inter se, antiquo more, non in Quinctium sed in *hostes devictos* jocatos esse; legibus demum latis, acerbitatem jocis accessisse eosque in *duces* inconditis versibus jactari coeptos. Itaque unicum evasit hoc conviciandi genus ac perduravit in triumphis. Joci autem illi militares — a quibus diversum erat triumphale carmen *io triumphe!* — ut antiqui nup-

---

1 *Liv.* III, 29. Cff. IV, 20, 53. V, 49. VII, 10, 38. X, 30. XXXIX, 7. *Vell. Pat.* II, 67. *Plin. H. N.* XIX, 41. *Suet. vit. Caes.* 50. *Mart. Epigr.* I, 5. *App.* VIII, 66. *Dion. Hal. Antiqq. Rom.* VII, 72. Idem II, 34 refert, αὐτοσχεδίοις ποιήμασιν celebratum esse a militibus Romuli de Antemnatibus triumphum. Memorabilia sunt Fl. Vopisci in vit. Numeriani c. 13 verba: « Ipsi comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant *vetera dicta* usurpare. Nam et lepus tute es et pulmentum quaeris Livii Andronici est, multaque alia, quae Plautus Caeciliusque posuerunt. » Cf. *Ter. Eun.* III, 1, 36. *Vetera dicta* sunt dicteria in triumphantes duces. (*Cic. de Orat.* II, 54 *Macrob.* II, 1. *Quint.* VI, 3. Plura fortasse ejusmodi apud comicos neglecta latent.

tiales, *convicia festa* dicuntur [1]. Monent autem legis verba, ut distinguamus ea convicia, quae jacientes *occentare* dicuntur, a malis carminibus. Illa enim ore tantum jactari solebant, fortasse memoriâ teneri, haec scripto mandari; quo fiebat ut essent infestiora et odiosiora atque legis severitate caveri deberent. Quod Cicero indicavit: « quamquam id quidem etiam duodecim tabulae declarant, *condi* jam tum solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, lege sanxerunt. » Sed apertius Arnobius: « Carmen malum *conscribere*, quo fama alterius coinquinetur et vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impune. »

Haec, auctore Horatio aliisque, de Fescenninis versibus eorumque rure, in urbe et apud milites usu disputari posse videntur. Ex quibus perspicuum fore arbitror, illud inconditae poëseos genus tanquam satirae Romanae primordia quaedam fuisse; quin illa *aperta rabies*, in quam saevus jocus verti coepit, *cruentus dens*, quo lacessiti doluere, et hominum *descriptio* acerbitatem Lucilianae satirae, qualem hanc fuisse memorant [2], referre videntur. Addit Horatius, verso modo formidine fustis ad bene dicendum delectandumque redactos esse Romanos. Maledicentia, quae mala carmina pepererat, obticescente, oblectandi proposito indulgeri coepit. Hic vero scenicorum ludorum initia, ab Etruscis profecta, consideranda sunt: quorum quum

---

1 *Lucan.* II, 269. *Senec. Med.* 113. *Mart. Epigr.* VII, 8, 7.

2 Sup. p. 88, 130, 136.

mentionem fecerint Livius et Valerius Maximus, utriusque narrationem, quia aliquid discriminis habet, describemus. Haec igitur Livius : « C. Sulpicio Betico, C. Licinio Stolone coss. pestilentia (Romae) fuit. Eo (anno) nihil dignum memoriâ actum, nisiquod pacis Deùm exposcendae causâ tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit ; et quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo (nam circi modo spectaculum fuerat) inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur. Ceterum parva quoque — ut ferme principia omnia — et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. Imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, coepere ; nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia *hister* Tusco verbo ludio vocabatur, nomen *histrionibus* inditum : qui non, sicut ante, Fescennino versu similem jocum, compositum temere ac rudem [1], alternis jaciebant, sed impletas modis saturas, descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere — idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor — dicitur, quum saepius revocatus vocem obtudisset, veniâ petitâ puerum ad canendum ante tibicinem

1 Vulgo leg. *similem incompositum* —.

quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, et ludus in artem paulatim verterat, juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit; quae inde exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum, ab Oscis acceptum, tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, et stipendia, tanquam expertes artis ludicrae, faciant [1]. » — Valerii vero verba sunt: « Causam instituendorum ludorum ab origine sua repetam. C. Sulpicio Betico et C. Licinio Stolone coss. intoleranda vis ortae pestilentiae civitatem, a bellicosis operibus revocatam, domestici atque intestini mali curâ afflixerat. Jamque plus in exquisito et novo cultu religionis, quam in ullo humano consilio positum opis videbatur. Itaque placandi coelestis numinis gratiâ compositis carminibus vacuas aures praebuit, ad id tempus circensi spectaculo contenta. — Verum, ut est mos hominum parvula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga Deos verbis juventus, rudi atque incomposito motu corporum jocabunda, gestus adjecit. Eaque res ludium ex Hetruria arcessendi causam praebuit: cujus decora pernicitas — novitate grata Romanorum

1 VII, 2.

oculos permulsit. Et quia ludius apud eos *histrio* appellabatur, scenico nomen *histrionis* inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ad satyrarum modos perrepsit. A quibus primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit. Isque sui operis actor, cum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri et tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit. Atellani autem ab Oscis acciti sunt: quod genus delectationis Italicâ severitate temperatum, ideoque vacuum notâ est. Nam neque tribu movetur, neque a militaribus stipendiis repellitur[1]. »

Utrumque locum conferentibus palam est, Livianum ob oculos habuisse Valerium Maximum. Quod quamvis plura consimilia apud utrumque ostendant, tamen alia docent, non a solo Livio eum pependisse sed alium fontem consuluisse. Nam memorat primum *carmina composita*, quod sacrum poëseos genus fuisse, fortasse Saliare, eo ostenditur, quod *venerabilibus erga Deos verbis* constabat. Tanta vero quum esset morbi vis et incrementum, ut solenni recitatione animi, mali magnitudine perculsi, adverterentur, in-

---

1 II, 4, 4. *Oros.* III, 4. « L. Genucio et Q. Servilio coss. ingens universum Romam pestilentia corripuit — Cum pestilentia in dies crudesceret, auctores suasere pontifices, ut ludi scenici diis expetentibus ederentur: ita pro depellenda temporali peste corporum, arcessitus est perpetuus morbus animorum. » (Cf. *August. de Civ. D.* II, 9). *Tac Ann* XIV, 21: « Majores quoque non abstinuisse spectaculorum oblectamentis, pro fortuna quae tum erat; eoque a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina. » Cf IV, 4.

spectis, ut antea factum cognovimus [1], Sibyllinis libris, pontifices edixerunt, scenicis ludis Deos placari velle. Frustra experta erat juventus Romana, quemadmodum solennia carmina vario proprioque gestu ornaret et commendaret. Sed quum nec natura pulcri venustique sensu eos imbuisset, nec disciplinâ naturam adjuvissent, inconcinni erant corporum motus, omni decoris elegantiaeque specie destituti. Non ignorabant eo tempore Romani, praestare ea arte Etruscos, sed imitandi studium nulla adhuc causa excitaverat. Urgente jam tempore, arcessere ex Etruria cum tibicinibus [2] ludiones visum est; qui grata pedum manuumque agilitate populo placebant, nec tantum admirationem sed etiam aemulationem movebant [3]. Incensa studio juventus ea, quae tacitos peragentes ludiones viderat, imitata, misso jam solennium et compositorum carminum ritu, ipsa ludicros, tempore fusos atque incompositos versus *alternis* edebat. His inconditis jocis omnis aberat asperitas et conviciandi libido; scurrilia erant *αὐτοσχεδιάσματα*, plebis aures et oculos mulcentia. Exigua haec et inculta scenicae poëseos ele-

---

1 *Liv.* V, 13.

2 *Ovid. A. A.* I, 111.

Dumque, rudem praebente modum tibicine Tusco,
Ludius aequatam ter pede pulsat humum.

3 Non sane audiendus Cluvius Rufus, qui pestilentiam πάντας ὁμαλῶς διαφθεῖραι τοὺς ἐπὶ σκηνὴν προερχομένους narrat, eamque causam fuisse cur ex Etruria artifices arcesserent Romani. Ceterum memorat, τῶν τεχνίτων τὸν πρωτεύοντα δόξῃ καὶ χρόνῳ πλεῖστον ἐνευημεροῦντα τοῖς θεάτροις, Ἴστρον appellatum fuisse. *Plut. Quaestt. Rom.* p. 163 (289).

menta permultum tempus Romae viguisse, utriusque scriptoris testimonio constat. Valerius enim dicit, *paulatim deinde* ad saturarum modos *perrepsisse* ludicram artem; Livius vero, rem *saepius usurpando* excitatam fuisse. Satis accurate hinc, quam diu exiguis finibus leve artificium circumscriptum steterit ante quam aliqua progressio cerneretur, significatur. Quod vero traditur *post aliquot annos* Livius Andronicus instituisse, non eo valet ut putemus, temporis spatium indicari, intra quod vernaculi artifices exstiterint. Contra historici sententia haec est: postquam per aliquot annos Andronicus instituerat argumento fabulam serere, accidit ut, obtusa voce, puerum adhiberet. Quare erravit Munk, qui paucis ante Livium Andronicum annis Romae ortas esse satiras existimavit, neque assentiendum ei statuenti Romanos, qui bello Punico primo in Siciliae urbibus delectati fuissent similibus spectaculis, Romae pace composita urbeque multis opibus locupletata rudia sua artis scenicae elementa ad illorum modum effinxisse; quippe quum apud Siculos jamdiu mimica cavillatio cum cantu et saltatione in scena fuisset [1]. Ineptum enim esset putare, per integrum seculum et quod excurrit rudia illa elementa viguisse, nec nisi post tantum temporis intervallum vernaculis artificibus uti coepisse Romanos. Itaque quum constet, Andronicum fabulam primum docuisse a. 514 (240), par est censere, aliquot annis post eum veniam illam petiisse, quam

---

1 *Op. l.* p. 16.

Livius memorat. Diuturno ergo usu assiduaque exercitatione emersit res scenica apud Romanos. Tum propriis ac domesticis artificibus *histrionum* nomen inditum, qui, repudiata Fescenninorum ruditate, impletas modis saturas peregerunt, non satis habentes ad tibicinis modos saltare, sed ad eosdem modos canentes et cantui convenientem et compositum totius corporis motum adjungentes. Intelligitur, paulatim magnam arti gratiae laudem et commendationem accessisse, quippe et pro horrido carmine cultiore inducto, et emendato gestu et adscita cantûs dulcedine, et servatis tibicinis modis. Verum quales intelligamus *saturarum modos* sive *impletas modis saturas?* Munk haec habet: « Ut apud Graecos tragoedia Bacchi cultui originem debebat; comoedia contra, quam festi hilaritas procreaverat, nihil nisi jocosa tragoediae conversio erat, ita apud Romanos ex Etruscae illius saltationis ridicula imitatione satira orta est, licet et comoediae et satirae elementa, irrisio et jocatio, omnem artem antecederent. Eo enim quod coeperunt versus antea temere et incomposite jactatos cum saltatione cantuque conjungere, ludus paulatim in artem mutatus artificibus jam egebat, qui studiosius rei operam darent. Satirae nomen nactus esse videtur ob verborum, cantûs, saltationisque conjunctionem, quae tria, quum antea essent sejuncta, tum in unum consociata tanquam diversae fruges in satura lance populo offerebantur [1]. » Fallitur ita rem exponens: nam patet e Livii verbis, non ob conjunctionem

1 *Op. l.* p. 15.

variarum rerum *saturas* ludos illos esse appellatos, sed saturas modis impletas opponi jocis incompositis, Fescennino versu jactatis et ἀμοιβαίοις. Necesse igitur existimemus, saturas illas nec jocis rudibus et inconditis, nec Fescenninis versibus constitisse, neque vero *alternis* cani consuevisse. Histrionis quidem nomen e lingua Etrusca Livius et Valerius repetierunt; Festus docet, dictos esse histriones, quod primum ex Histria venerint; Isidorus vero dubitat, utrum sic dicti fuerint, quod ab Histria adducti sint, an quod perplexas historiis fabulas exprimerent, quasi historiones [1]. Quarum explicationum neutram sane probamus; illud extra dubium, recte eum indicasse quod intellexerunt Livius et Valerius. Erant enim saturae illae *fabulae historiis perplexae*, mixtum ac variegatum fabularum genus, haud invenustis jocis ac salibus conditum, et vel ex quotidianae vitae rebus haustum, vel ad earundem rerum similitudinem leviter fictum. Fortasse etiam, quod Munko visum, salsis irrisionibus, ridiculis ambiguitatibus, obscoenis dictis proverbiisque constiterunt, neque naturâ dissimiles fuerunt nugis istis, quibus hodie etiam Itala plebs Venetiis potissimum et Neapoli gaudere solet. *Modis* autem *impletae* dicuntur, quod cantu et actione exhilarabantur. Quaeritur, utrum fabellae illae, quae perpetuo argumento carebant, sine ulla meditatione subito fusae fuerint an meditatione partae et compositae [2].

---

1 *Origg.* XVIII, 48.

2 *Stieve de rei scen. ap. Rom. orig.* p. 44. Cf. *Munk* p. 16 (59).

Artifices illi vernaculi sive histriones sine dubio libertini, non ingenui fuerunt: iidem autem eo tempore et auctores et actores saturarum. Itaque verisimile est, prius, quam peragerent saturas, excogitationi eos otium impendisse: quod nisi statuatur, satis mirari non possumus, quomodo ad tibicinem cantus descriptus sit; sed scripto non videntur esse mandatae. Nuperrime negari visum est, hoc ludicrae poëseos genus *saturarum* nomine insignitum fuisse, sed aut proprio nomine caruisse, aut tale habuisse quod ignoraretur a posteris, aut simpliciter *ludos* appellatum fuisse[1]. Sed recte veterem opinionem tuebimur, animadvertentes, Livium non diserte scripturum fuisse *qui ab saturis ausus est* —, nisi apud eum constitisset de solenni ac proprio ejus vocabuli in hoc artificio usu. Nomen igitur genus habuit a rerum descriptarum varietate ac perplexitate. Post Livius Andronicus Graecas fabulas contextis argumentis docere coepit, quae, magnopere populo probatae, sensim paulo magis cultam artis speciem retulerunt. Neque tamen antiquissimi ac domestici carminum lusus oblivioni mandati sunt. Nam postquam histrionibus, qui pridem perplexas historiis fabulas expresserant, fabularum Graecarum actus permissus in posterum erat, veterem morem Romana juventus repetiit, ut jocularia intexta versibus inter se jactitarent. Quod subitum ac fortuitum et ἀμοιβαῖον lusuum genus ideo instauratum esse legimus, quod a *risu solutisque jocis* fabularum res avocata erat. Pri-

---

1 *Düntzer Op. l.* p. 6.

mum illud sine fabulae argumento usurpabatur, postea vero, exhibitis Oscis personis, ad fabulae rationem componi coepit [1].

Haec omnia satis docent, vere Horatium scripsisse, vertisse modum Romanos et ad bene dicendum delectandumque redactos esse. Neque minus haec valent de iis, quae porro obvenisse traduntur. Nam, quae scenica fuerat et tempore fusa necdum scripto mandata, satira deinde Ennio auctore insignem commutationem subiit. Tradit Diomedes: « Olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, satyra vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. » Universe vero idem deinceps: « Satyrâ carmina multa simul et poëmata comprehenduntur [2]. » Paulus: « Genus carminis, ubi de multis rebus disputatur [3]. » Isidorus: « Satiram scribere est poëmata varia condere, ut Horatii, Juvenalis et Persii [4]. » Ab hoc potissimum tempore, quo satira in literarum Latinarum historiam migravit, usu quoque videtur receptum, ut eodem nomine lex diceretur, quae uno rogatu multa simul comprehenderet [5]. Intelligitur autem ex memoratis testimoniis, satiram, ut primum scribi coepta est, antiquissimae vocabuli significationi prorsus respondisse. Etenim carmen erat variis poëmatibus sive

---

1 De reliquo Livii loco cf. *Munk l. l.* p. 91.

2 *Gr.* III p. 482. *Comm. Cruq. ad Hor. Sat.* I, 10, 46: « Sermonem frustra tentasse Ter. Varronem; — item Ennium, qui quatuor libros satyrarum reliquit, ac Pacuvium huic generi versificationis non suffecisse. » Cf. *Dousa ad Lucil.* p. 98.

3 Apud *Festum* v. satura.

4 *Origg.* V, 6.

5 *Festus l. l. Diom. l. l. Isid. l. l.*

poëtici ingenii lusibus compositum. Animadvertendum autem est, quod neglectum esse video, Diomedem *carmina* et *poëmata* distinguere videri; nam quum priori loco tantum *poëmata varia* memorasset, deinceps poëmatibus *carmina* addit. Carmina etiam Quintilianus eo loco dixit, quo in discernenda Enniana et Luciliana satira potissimum Hermann usus est. Quem locum hic partim describam: « Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius. — Multo est tersior ac purus magis Horatius et ad notandos hominum mores praecipuus. Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur. Alterum illud et jam prius satirae genus, sed non sola *carminum* varietate mixtum, condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus [1]. » Non sane *carmina* interpretabimur breviores e lyrico potissimum genere lusus, *poëmata* vero longiora ex epico potissimum vel tragico genere poëtici ingenii monumenta [2]. Sed carmina recte *metra* explicabimus, quorum insignem varietatem in Ennii satiris fuisse novimus, qui, praeter hexametros, trochaicos et jambicos usurpavit, iisdemque libris permiscuit. Hermann autem existimans, omne quantum a Diomede Ennianae satirae proprium ac praecipuum tribuatur, in *formae* (i. e. *metrorum*) varietate cerni, qua ipsa Varronis satiras insignes fuisse

---

1 *Inst. Orat.* X, 1, 93. Vulgo editur: *Alterum illud est etiam prius satirae genus, quod non* —.

2 Cf. *Doederl. Synon.* V p. 100.

constet [1], eidemque satirae opponens Lucilianam, quod carmen fuisse dicit ipsius *argumenti* varietate miscellum perque omnem vitae humanae farraginem licenter vagum [2], dubito an accurate discrimen notaverit, quod Ennianum inter et Lucilianum satirae genus intercesserit. Quod ut plene declaretur, necesse est *poëmatum* quoque varietatem attendamus. Nonius tradit, poëma esse inventionem parvam, quae paucis verbis expeditur. Istiusmodi inventionibus sive lusibus, modo brevioribus modo longioribus, modo seriis modo jocosis, modo gravibus modo scurrilibus, modo ad laudandum modo ad reprehendendum compositis, sed nexu et vinculo destitutis, satiras Ennii constitisse dixerim: qua in varietate parum curasse eum arbitror, quo carminis sive metri genere uteretur. Nihilo tamen secius cavendum esse puto, ne temere hanc scriptarum satirarum rationem eandem aut simillimam putemus dramatico saturarum generi, quod peragi ab histrionibus ante Livii tempora consueverat. Qui lusus etiamsi non extemporales fuisse videantur, tamen artis speciem exiguam, collati cum Ennianis, retulisse censendi sunt; praeterea Saturniis numeris, quamvis concinnitate aliquanto commendatioribus, compositi. Ennianae contra, Graecorum metrorum varietate insignes, praeter jocosa et ludicra etiam exquisitiora continebant. Quodsi materiem, quam sibi subjectam habuerunt, cognoscere liceret, quam recte judicaveri-

---

1 p. 25, 27, 41. *Casaub. de Rom. Sat.* II, 2 p. 249: « Tanta in Ennii opere non nimis longo *metrorum* diversitas: nec tantum metrorum, sed etiam *argumentorum.* »

2 p. 27.

mus, pateret. Sed dubii fluctuamur, quae ad satiras ejus referri oporteat. Si constaret, de quo nuper ambigi coeptum, eum librum, quem Scipionem inscripsit Ennius, huc revocari debere, profecto argumenti gravitatem rerum praeclare ab illo gestarum commendata memoria probaret [1]. Sota etiam liber ejus laudatur, cujus quale argumentum fuerit nescimus; nam quod Rupertus, qui alios laudans Asotum sive Sotadicum titulum libri finxit, existimavit luxuriosi vel dissoluti hominis imaginem eo adumbratam fuisse, tituli specie motus est [2]. Phageticorum librum potius quam sotam satiris vindicare voluit Düntzer, quia Varronis satira περὶ ἐδεσμάτων inscripta legitur [3]. Hermann vero haud scire se ait, an plurima eorum carmina, quae praeter Annales ab Ennio conscripta ferebantur, nihil nisi partes integri satirarum corporis fuerint. Illud certe novimus Quintiliani auctoritate, in satira eum Mortem ac Vitam contendentes tradidisse [4], et Gellius narrat, Aesopi apologum de aviculae nidulo, quo ille docuerat, amicorum et propinquorum tam levem plerumque et inanem fiduciam esse, ut in te ipso spem omnem te habere par sit, in Ennii satiris scite admodum et venuste versibus quadratis compositum esse [5].

---

1 Cff. *Lersch* (Rhein. Mus. V p. 420. Zeitsch. f. Alt. 1837 p. 1047), *Ritter* (Zeitsch. f. Alt. 1840 p. 394) *Düntzer Hor. Sat.* p. 8. *Hermann de Sat. Rom.* p. 26.

2 *Disp. de Sat. Rom.* p. XLI (praefixa *Juven. editioni.*)

3 *Op. l.* p. 10.

4 *Inst. Orat.* IX, 2, 36.

5 II, 29.

Quamvis igitur non sufficiant satirarum Ennianarum reliquiae, ut manifeste ostendatur, Quintilianum, ubi *solam carminum varietatem* memoret, praeter varium *metri* genus, etiam *poëmatum* varietatem intellexisse videri, tamen extra dubium positum esse propterea arbitror, quod *poëmatum* disertam mentionem factam esse a Diomede patuit, idemque *carmina* et *poëmata* discrevit. Quare non *forma* unice sed etiam *materia* hîc spectatur. Censuit praeterea Hermann, Ennianam satiram non magis ad morum doctrinam spectasse quam Plautinas fabulas aut P. Syri mimos, universeque monuit, Ennium totam vitam delectandis aequalium animis rebusque eorum praedicandis impendisse [1]. Posterius etsi vehementer probem ac verissimum esse judicem, quippe quam eum constet Annalibus in Scipionum, Fulviorum, Flaminini, Caeciliorum Dentrorum laudes excurrisse [2], tamen omni eum vitiorum insectatione abstinuisse satiris scribendis, statuere nolim. Omitto Aesopi apologum, cujus componendi haud scio an non causam habuerit Catonis, veteris amici ac fautoris, alieniorem a se animum, aegre ferentis quod in nobilium gratiam magis magisque se insinuabat. Sed haec levior suspicio est. Audiamus quae Gerbero visa sunt: « Acriter interdum homines Ennius perstrinxit in satiris. Luculenter id, nisi alia suppeterent, ex his jambis, quibus alium sic loquentem induxit, comprobare possemus:

---

1 p. 25.

2 *Ritter l. l.*

Enni poëta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus.

Sed aliis argumentis, et longe quidem gravioribus, rem confirmare nobis est licitum. Exstant enim Ennii verba, quibus certum quendam aculeis quasi pupugisse videtur, quum in eundem hoc modo invehitur:

Quippe sine cura laetus lautus, quom advenis
Inserteis maleis, et expedito brachio,
Alacer, celsus, lupino impetu exspectans
Mox dum alterius obligurrias bona.
Quid censes domineis esse animi? Proh divom fidem!
Ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras.

Numquid his acrius dici potuisset? neutiquam ego credo. Tam enim aperte increpat, et tam mordaci dicendi genere utitur, ut hoc ipso etiam satirae leges perrupisse censendus sit [1].» Quamobrem sic sentio, Ennium, quamvis potissimum delectaretur populi Romani gloria celebranda ac principum virorum laudibus canendis, tamen nonnunquam hominum vitia, flagitia, ineptias ac nugas salse risisse et exagitasse, sine ulla tamen proprii nominis invidia.

Tandem in eo versatur Hermann, ut ostendat Ennium longe aliud satirae genus tractasse, quod cum Luciliano comparari ita non possit, ut nihil amplius quam fortuitum nomen cum eo commune habeat, totumque a Graecis sit petitum, Lucilianum contra in-

---

1 *De Rom. Sat.* Jenae 1756 p. 22.

tactum Graecis carmen Horatio dictum esse. Memorat Chaeremonis Centaurum, quod carmen Graecum erat omni metrorum genere compositum; technopaegnia Alexandrinorum, in primis vero Theocriti idyllia, quae cum Ennianis satiris praeter inscriptionis ambiguitatem illud quoque commune habere perhibuit, quod non solum argumentorum sed etiam numerorum varietate mixtum librum exhibent, tum etiam Menippum Gadarensem Cynicum [1]. Haec testimonia satis superque persuadent, Graecorum exemplarium imitatione Ennium satiram scripsisse vario *metro* distinctam. Sed Theocriteorum mentio simul persuadet, infinitam *argumentorum* sive *poëmatum* varietatem haud minus Graecis notam fuisse. Hoc igitur priscum satirae genus est, quod a Varrone non sola carminum varietate mixtum conditum esse Quintilianus prodidit.

---

1 p. 22, 41.

QUEM LOCUM LUCILIUS IN SATIRAE SCRIPTORIBUS TENUIT?

Satiram, quae mixto poëmatum et carminum genere Graecam originem prodidisset et Ennium auctorem habuisset, proprium Romanae poëseos genus factum esse Graecis intactum et incognitum, recte sane visum est Hermanno. Neque vero dubitari potest, quin idem verum viderit statuens, hujus novi generis auctorem et inventorem ab Horatio Lucilium praedicari. Sed Quintiliani auctoritas obstat, quominus putemus, ita principem in ejus generis inventione fuisse, ut illius laudis non solum aemulum nullum ac socium, sed ne participem quidem habuerit. Quintiliani verba sunt: « Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius —. » Manifestum est, ante Lucilium neminem inclaruisse scribendis satiris; nihil vero impedit, ne Quintilianus alios poëtas cogitaverit, qui ingenium ante Lucilium in eodem genere periclitati fuissent, eo eventu ut eorum conatus tenues et exiguos Lucilii fama obscuravisset. In quam sententiam quamvis Weichertum locum interpretatum esse cognoverim, tamen erravit eo, quod Ennium,

satirarum scriptorem, a Quintiliano hoc loco omissum esse existimavit [1]. Accedit nostrae opinioni aliquid momenti, quod Festus Naevii satiram laudat, ex qua hunc versum posuit: *Quianam Saturnium populum pepulisti* [2]. Scio Naevii et Novii nomina saepius commutata esse a librariis: sed hoc loco nullam corruptionis suspicionem esse posse, inde patet, quod Festus Naevianum Punici belli carmen modo laudaverat. Naevii autem acerbitas nota est ex Gellio. « De Naevio quoque accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum et Leontem, quum ob assiduam maledicentiam et probra in principes civitatis de Graecorum poëtarum more dicta, in vincula Romae a triumviris (capitalibus) conjectus esset: unde post a tribunis plebei exemptus est, quum in iis, quas supra dixi, fabulis delicta sua et petulantias dictorum, quibus multos ante laeserat, diluisset [3]. » Nec vero tantum multos principes in civitate Romana viros, sed etiam Metellorum gentem et Scipiones versibus proscidit. Marius Victorinus illos *aliquoties* ab eo versu lacessitos dicit [4], Terentianus Maurus, *saepe* laesos fuisse [5]. Itaque has maledicentiae poenas luit, ut factione nobilium, ac praecipue Metelli, Uticae exsul obiret. Cum his testimoniis conferre juvat Diomedis verba, quorum posteriorem partem supra laudavimus: « Satyra dicitur

---

1 *Poëtt. Lat. rell.* p. 281.

2 v. quianam.

3 III, 3.

4 *Art. Gr.* III p. 2587. *Atil. Fortun.* p. 2680.

5 *De metris* vs. 2516. Cf. *L. Santen. ad l. l.* p. 555.

carmen apud Romanos, non apud Graecos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucillius et Horatius et Persius — [1]. » Videmus id quod a Lucilio institutum esse praeter Diomedem alii tradiderunt, jam diu ante a Naevio inceptum fuisse. Servatum est nobis antiquum Naevii dictum : *Fato Metelli Romae fiunt consules* [2]. Quaeritur igitur, quo carminis genere usus antiquus ille poëta conviciis Metellos ceterosque petierit. Credibile mihi videtur *satirâ* id factum esse illâ, quam Festus laudavit. Antiquior illa fuit Ennianis et longe naturâ dispar. Nam ut has varios poëtici ingenii lusus fuisse, varietate metri conditos, patuit, ita Naevianam propius abfuisse

---

1 *Inst. Gr.* III. p. 482. Sup. p. 278. *J. Gerber de Romanorum satira* p. 39 in antiquissimo Diomedis codice, a. 1495 Venetiis typis expresso per Th. De Ragazonibus De Asula, se legisse scribit: *Satyra est carmen apud Romanos, nunc quidem apud Graecos, maledicum* —. Vulgo legitur: *non quidem apud Graecos*, vel, omisso *apud Graecos*, *nunc quidem maledicum* —. Veram lectionem mihi videor restituisse. Etenim Diomedes p. 488 scribit: *Satyrica est apud Graecos fabula* —. Altero igitur loco cavere voluit, ne quis satiram Graecis et Romanis communem putaret.

2 *Lersch de vers. Sat.* negavit Naevii versum esse, sed a nescio quo confectum, qui Ciceronis verbis *in Verr.* I, 10 altius quid inesse opinaretur. Adductus eo est, primum quoniam, si Naevius unquam tale quid lusisset, id verbo, more suo, indicaturus Cicero fuisset, tum quoniam vix Naevius puer et senex Metellum aliquem consulem noverat. Animadvertendum est, morem illum Ciceronis esse in ceteris scriptis, in orationibus non servari. Metellos autem coss. fuisse legimus a. 503 (251) et 543 (206). Temerarium est omnia rejicere.

a carmine malo censemus, quod condere vetuissent XII tabulae. Fortasse genus quoddam epigrammatum fuit, quod aliis carminibus commixtum aut intertextum satirae nomine ab eo insignitum sit. Neque enim videtur Lersch verba illa Gellii *de Graecorum poëtarum more dicta* recte cepisse, quae interpretatur, probra illa Naeviana comoediis intexta et aliorum personis tecta fuisse. Laudat hunc Gellii locum: «Nos satis habebimus, quod ex historia est, id dicere, Scipionem (superiorem), verone an falso incertum, famâ tamen, quum esset adolescens, haud sincerâ fuisse, et propemodum constitisse, hosce versus a Cn. Naevio poëta in eum scriptos esse:

Etiam qui res magnas manu saepe gessit gloriose;
Cujus facta viva nunc vigent; qui apud gentes solus
Praestat; eum suus pater cum pallio uno ab amica
abduxit[1].

Sed ostenditur eo, Romanos, maledicentiam Naevii timentes, quam haud vereretur antiquae comoediae Graecae exemplo liberrime effundere, in comoediis pariter conviciorum vestigia quaesivisse et sibi invenire visos esse. Quae tamen sola suspicio causa esse non poterat, ob quam in vincula conjiceretur, nisi nominibus propriis abusum fuisse constitisset. Itaque nec Ruperto assentior, *dramaticam* hanc Naevii satiram fuisse existimanti[2], nec J. Dousae, qui pro *satira* apud Festum *Saturno* restituendum esse putavit[3].

---

1 VI, 8.

2 *De Satiricis Rom. poëtis* p. LIV.

3 *Post Comm. Cruq.* p. 665.

Primum igitur hoc instauratae publicae maledicentiae exemplum in Naevio nobis servatum est. Quod sane ejusmodi fuisse censendum est, ut magnopere discrepuerit ab Ennii, quam supra memoravimus, ratione et consilio. Neque enim hic singulares homines petiisse satiris videtur, sed ipse indicasse quod voluit, quum scriberet, se mortalibus flammeos versus medullitus propinasse. Itaque hominum genus universum tetigit, ejus mores ineptos aut pravos, non facto discrimine, utrum plebs an patres, divites an pauperes iis laborarent, descripsit et adumbravit: neque eo audaciae prorupit, ut, quod impune in civitate Romana non licere Naevii supplicio constitisset, ejusdem aut gravioris supplicii periculo tentaret. Eadem quoque causa fuit, cur Pacuvius, quem sine causa Diomedes ante Ennium posuit — cujus ex sorore nepos traditur fuisse — in Ennianae satirae genere acquiesceret, nec quidquam novi aut Graecis inusitati proferret [1].

Integri seculi spatio, quod inter Naevii et Lucilii tempora intercessit, quantum Romanorum ingenia creverint, quanta non solum ad doctrinae laudem sed etiam ad humanitatis commendationem accessio facta sit, idem Horatius, qui nobis in enodanda satirae origine dux fuit, testis est:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiae pepulere;

addidit vero, ne quis inconsideratius progressus majores, quam reapse fuissent, existimaret:

1 Sup. p. 278.

sed in longum tamen aevum
Manserunt hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent;
Tentavit quoque rem si dignè vertere posset,
Et placuit sibi, naturâ sublimis et acer.
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
Sed turpem putat in scriptis metuitque lituram [1].

In iis fuisse Lucilium, qui Graecis scriptoribus operam dedissent, et comicorum praesertim fabulis penitus imbuti essent, eodem auctore constat:

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae,
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius; hosce secutus
Mutatis tantum pedibus numerisque — [2].

Haec vero si reputaverimus, diserte ab intelligente judice enunciata, quibus consentit Diomedes, scribens « satiram ad carpenda hominum vitia *archaeae comoediae charactere* compositum carmen esse », satis mirari non possumus, quomodo Graecis intactum carmen *ejus* fuisse dicatur, qui omnis pependit a Graecis. Etenim si externa, a Graecorum imitatione ducta, satirae ratio Quintilianum movit, ut Ennianum genus, quamvis antiquius fuisset, posteriori generi postpone-

---

1 *Ep.* II, 1, 156.
2 *Sat.* I, 4. Sup. p. 78.

ret, nonne majore jure Graecis vindicabimus et Romanis literis eximemus illud, cujus formam domesticam, materiam peregrinam fuisse constet? Hermann non negavit, haud exiguam veri speciem comoediae priscae cum Luciliana satira comparationem habere, sed addit, quantumvis magna sit libertatis et amaritudinis inter comicos et satiricos affinitas, tamen nec metri mutationem tanti faciendam esse, et alia esse in utroque genere maxime disparia; primum enim in comoedia esse certi argumenti expositionem et descriptionem, quae in satiris requiratur, tum comoediam spectanti populo exhiberi, satiram lectione teri paucorum [1]. Hinc satis efficitur, magnam quidem materiae similitudinem fuisse satiris Lucilii cum prisca Graecorum comoedia, formae vero insigne discrimen utrique generi intercessisse. Materiam autem ipsam Luciliani operis jam supra satis, opinor, accurate pervestigavimus, ut Horatii auctoritas rerum ipsarum i. e. argumentorum expositione confirmetur [2]. Quorum varietatem quum permagnam fuisse patuerit, potissimumque ea pertinuisse viderimus ad omne vitiorum in republica gliscentium et invalescentium genus, ita animadvertimus simul, non eum satis habuisse Ennii instar describere et exprobrare, si quid in moribus, quibus tum vivebatur, aut ridiculi speciem haberet, aut turpe ac flagitiosum scelestumque inesse videretur, sed plus invidiae sponte subiisse ac securitatis vitaeque suae periculo cives ipsos expressis

1 p. 29.
2 Inde a p. 159.

nominibus indicatisque, ne quid superesset erroris, praenominibus aggressum esse [3]; quod ipsum veterum illorum comicorum Graecorum audax consilium institutumque fuerat, non solum eadem libertate genus omne facinorosorum traducentium, verum etiam pari sagacitate, quo quisque vitii genere ac specie laboraret, qua quisque ratione ac modo speciem ipsam occultaret et dissimularet, odorantium.

Quod igitur Lucilium adolescentulum usus ac convictus sodalium in Scipionis castris docuerat, quodque in ipsa deinde republica tanquam in scena idem accuratius animadverterat vehementiusque perosus erat, hoc ut ipsis maleficis, quantum esset ac quale, constaret, ut in eorum animis, malefactorum sibi consciis et tacitâ culpâ sudantibus, pudor ac poenitentia moverentur, hoc ut omne bonos non lateret, sed edocti tum vitium ipsum tum vitii speciem fugerent, scribendis satiris assequi studuit. Hac autem in re efficienda ingenio usus est magno, solerte, faceto, omni ex parte praeclaro; quod etsi mature libertatis amantissimum esset, atque animi utcunque affecti ac commoti impetum sequeretur, candorem et simplicitatem referret, tamen ex Graecorum scriptorum, in primis comicorum, literis tantum alimenti post suscepit, quantum in simili studio versato maxime congruum atque opportunum erat. Pressit igitur eorum vestigia, nec gratiam adulando aucupatus, nec metu cujusquam retardatus, quominus liberrime, quae suaderet animus, enunciaret. Sed illorum aemulus, generosiore ac li-

---

1 Inde a p. 198.

beraliore principio, quod Graecis comicis non omnibus unum ac princeps fuerat, ducebatur Lucilius. Virtutis verae custos rigidusque satelles uni virtuti aequus erat atque ejus amicis. Virtutis amor in eo tantus tamque ardens erat, ut ejus in civitate Romana exemplar, Scipionem, et admiraretur maxime et scriptis exhiberet; cumque virtutis amantes caros haberet et coleret, pari odio secus et sentientes et cogitantes et agentes habebat[1]. Idem principium an Naevii fuerit, magna verborum libertate in homines incurrentis et nominatim traducentis, dubitamus; abest etiam, ut proprium censeatur eorum, qui malis carminibus satirae scriptorem praecesserant, et audaciae exemplum praeiverant; unum vero priscum Catonem censorium ornaverat et cum Lucilio commune fuerat, qui de eo tradit: *nam vetus ille Cato lacessisse appellari quod conscius ipse non erat sibi*[2].

Sed ut a comicis Graecis Lucilium profecisse, imo pependisse auctor est Horatius, ita jamborum scriptores Graecos haud neglexisse videtur. Diomedes: «Jam-

---

1 Immerito scripsit *Schlosser Op. l.* II, 2, 244: *Der schlaue Lucilius ahmte des Ennius Beyspiel nach und hat die moralischen Tugenden der hohen Familien gepriesen.*

2 *Fr.* XIV, 7. Dousa licentius ita legit:

Nam vetus ille Cato dignum quemcunque lacessim,
Appellare, quod ipse sibi non conscius esset.

Nam *Priscianus* X p. 902 addit: « Sed potest *lacessisse* per syncopam esse prolatum vi syllabae, ut *cupisse* —. » Unde patet, *lacessim* non legi posse, quod ne vocabulum quidem Latinum est. Tametsi vero non subeat, quae vera lectio fuerit, tamen sensum recte videtur Dousa indicasse.

bicum est carmen maledicum, plerumque trimetro versu et epodo sequente compositum. Appellatum est παρὰ τὸ ἰαμβίζειν, quod est maledicere. Cujus carminis praecipui scriptores apud Graecos Archilochus et Hipponax, apud Romanos Lucillius et Catullus et Horatius et Bibaculus [1]. » Non minus diserte hîc a Diomede ad jambographos Latinos, quam supra memorato loco ad satirographos refertur. Appulejus autem haud aliam nobis sententiam probat: « Eâdem igitur operâ accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit — et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu: et quidem C. Lucilium, quamquam sit jambicus, tamen improbarim, quod Gentium et Macedonem directis nominibus carmine suo prostituerit [2]. » His testimoniis numquod evidentius postulabimus, ut nobis constet, jambico carmine usum esse Lucilium? Nam, quod in Appuleji codicibus pro Lucilium *Lucretium* et *Lucullum* scriptum invenitur, vulgaris error est [3]. Neque vero propter solam carminis *maledicentiam* in jambographorum numerum Diomedes Lucilium retulit, quippe qui eundem satirae i. e. carminis *maledici* scriptoribus adscripsit; unde patet proprie eum locutum esse, quum in praecipuis apud Romanos ejus generis scriptoribus primum Lucilium memoret. Quodsi vero Quintilianum consulimus, qui, factâ satirae mentione, jambum attingit, facile refelli nostram opinionem putemus. Sic

---

1 *Gr.* III p. 482.

2 *De Magia* c. 10. Cf. *Dousa ad Lucil.* p. 112.

3 Cf. p. 9, 255.

enim ille : « Jambus non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus ; a quibusdam interpositus : cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio : quamquam illi epodos intervenire reperiatur [1]. » Existimabimus, a Quintiliano propterea omissum Lucilium, quod *acerbitatem* in jambis nullam prodidit? At idem in satiris haudquaquam eam desideravit [2]. Quare haec causa ei non fuisse videtur, cur silentio eum praeteriret. Vel fallor equidem, vel haec scriptoris mens fuit : non, ut satira, jambus vindicari Romanis proprium opus potest, sed a Graecis petitum coluerunt ; fuerunt autem qui carmen jambicum non solum et integrum conderent, sed alii carminum generi interponerent. In his procul dubio Lucilius nobis ponendus erit, qui, quod satiris suis jambos inseruit, Diomedi et Appulejo *jambicus* dici potuit, et jure tamen idem a Quintiliano omitti, jambos scribentium non interponentium mentionem disertam faciente. Hermann censet, jambum, qualem inter Graecos Archilochus condidit, quamvis indignationis fervore et lyrico quodam impetu magnam cum satira affinitatem habeat, tamen hac ipsa re rursum ab illa differre, quod, nimia dicacitate ruens, non ut Horatius res sibi, sed se rebus subjungat, hominesque ipsos, non vitia eorum aggrediendo, suam ipse impotentiam prodat. Tantum autem discrimen inter Lucilium et Graecorum jambographos statuit fuisse, quantum inter Horatii epodos et sermo-

---

1 *Inst. Or.* X, 2.

2 Sup. p. 87.

nes intercedere constet [1]. Non sane equidem haec statuenti accedere ausim, nihil quippe argumenti inveniens, quo a Diomedis sententia avellar. Contra huic fidem addunt supra laudata veteris interpretis verba [2], quae, etsi inepte ad Horatium explicandum adhibeantur, a quo solus Archilochus respicitur, tamen ostendunt, in eodem poëseos genere Archilocho Lucilium obscoenitate parem fuisse. Nec mihi quis ipsum Horatium objiciat, jactantem se *primum* Parios jambos Latio ostendisse, numeros animosque secutum Archilochi [3]. Etenim ante Horatium idem molitus fuerat Catullus, quem sibi aetate propiorem quum non celebravisset, non erat cur antiquiorem Lucilium nominaret.

In exquirendis Lucilianae satirae fontibus, praeter comicos et jambographos Graecos, etiam sillographos fuerunt qui memorarent. Quam tamen quaestionem prudenter Hermann removit, non sufficere ad comparationem opinatus, si Lucilius unum alterumque Homeri versum, qui in proverbialem vim abierat, integrum satiris immiscuit [4]; utque concedamus Casaubono, Timonis in genus universum philosophorum dicta aliquam Lucilianae satirae auram afflare, tamen nihil obest quominus Lucilio licuerit Epicureos et Stoicos deridere, atque id tamen sillorum scriptoribus non referre acceptum, quos eum aemulatum aut imitatum esse nemo veterum docuit.

---

1 p. 28. Cf. *Düntzer Op. l.* p. 22, qui pariter a comparatione satirae et jambi alienus est.

2 p. 114.

3 *Ep.* I, 19, 34.

4 p. 34.

Ad Horatii verba:

Carmine tu gaudes, hic delectatur jambis
Ille Bioneis sermonibus et sale nigro [1]

vetus interpres: « Bioneis, satyricis, lividis, amaris, carmine maledico. Bion autem, *Sophistes* cognominatus, mordacissimis versibus est usus, quibus ita omnes laceravit, ut ne Homero quidem parceret. » Alius vero: « sermonibus i. e. disputationibus, quibus vulgi stultitiam arguit; quibus paene consentiunt carmina Luciliana. » Non fugit hic locus, qui ceteros tantum non omnes, quotquot in Lucilio versati sunt, latuit, Hermannum, sed non, ut par erat, tenuit, negantem hujus Bionis exemplum se agnoscere, quia nec liqueat, quantum ex ipsis Horatii verbis scholiasta finxerit, nec, ut par Lucilii acerbitas fuerit adeoque mordacissimis salibus ea quae apud pòëtas essent laceraverit, inde sequatur, ut parodico genere usus sit, cui summum Bion studium impendisse videatur. Alienissimum porro Lucilii ingenium fuisse scribit ab illa senescentis artis forma (parodia), tantumque abesse ut in parodiarum scriptorem cadat, quod vel Juvenalis de satira sua praedicet, ipsam quasi *indignationem versum facere*, ut frigido irrisionis artificio diligentiam poëtae et meditationem prodat [2]. Hìc non difficile erit videre, nonnihil erroris Hermanno accidisse. De Bione Borysthenita apud Horatium sermonem esse, etsi Hoogvlieto parum probabile visum

---

1 *Ep.* II, 2, 60. Cff. *Comm. Cruq.* et *Porph.* ad h. l.
2 p. 33.

sit[1], tamen plura suadent ut credamus. Fuit aequalis et familiaris Antigoni Gonatae ac floruit circa Ol. 130 (256), atque, ut Wyttenbachii verbis utar, nobilissimus inter philosophos sophista et inter sophistas philosophus, plane factus ad vanas opiniones pravasque cupiditates mordaci dicacitate confutandas. Ingenio acutus, sermone dicax fuit; cujus sal, acerbo felle suffusus, in dicteriis omnibus, quae multa et acutissima exstant, apparet: animo tamen nec gravis nec constans[2]. Quae inconstantia in primis eo cernebatur, quod modo Cyrenaicis, modo Cynicis, modo Theodoro, modo Theophrasto adhaesit. Multus fuit Welcker in indicanda scriptorum Bioneorum ratione. Bionis libros ait cum Satyris ob jocandi et irridendi studium comparari posse, et cum versicolore veste Satyrica, quia poëtarum flosculis, parodiarum lusibus, dicteriis aculeisque passim sparsis et disseminatis quasi contecti erant: praeterea mixtum soluta et ligata oratione sermonis genus fuisse[3]. Postremum hoc in dubium voco; nam quod plura ἀποφθέγματα ejus pedestri sermone laudantur[4], satis causae est cur ea ab aliis, non ab ipso, scripto mandata fuisse dicamus; sermones autem, quos *disputationes* interpres explicat, satiras esse metro compositas inde efficimus, quod carminis lyrici et jambici facta mentio fuerat, utroque

---

1 *J. M. Hoogvliet Diatr. de Bione Borysth.* L. B. 1821 p. 11.

2 *Anim. ad Plut. Moral.* VI p. 223, 474, 594.

3 *Prolegg. ad Theogn.* p. LXXXV—XCIV.

4 *Id. eod.* p. CXIII.

autem genere non minus praestiterat Horatius quam tertio i. e. satirico. Universe vero magis *disciplinam* Bionis quam *scripta* spectant, quae Welcker disputavit. Nam Eratosthenes, qui illa versicoloris vestis imagine usus est, Athenis eum docentem audiverat. Verba Diogenis sunt: *διὰ τὸ παντὶ εἴδει λόγου κεκρᾶσθαι, φάσι λέγειν ἐπ' αὐτοῦ τὸν Ἐρατοσθένην, ὡς πρῶτος Βίων τὴν φιλοσοφίαν ἀνθινὰ ἐνέδυσεν.* Pariter de Theodoro, Bionis magistro: *κατὰ πᾶν εἶδος λόγου σοφιστεύοντος*[1]. Convenit autem varium illud dicendi genus *ποικίλῳ* sophistae, qualem Bionem fuisse novimus: varietas autem sermonis dicacitate, gravitate, scurrilitate, subtilitate, suavitate constitisse videtur. Sed ut hac ratione philosophiam commendare studebat, ita contra dicitur *πλείστας ἀφορμὰς δεδωκέναι τοῖς βουλομένοις καθιππάζεσθαι φιλοσοφίας.* Viam autem ceteris praeivit eo, quod *εὐφυὴς* erat *παρῳδῆσαι.* Ejusmodi parodiae exemplum exstat, quo, abusus Homerico versu, Archytam philosophum petiit, nec tantum philosophos horumque placita, sed etiam astronomos, musicos, geometras, grammaticos horumque artes parodico genere illusit. Quin ulterius progressus idem ple-

---

1 *Diog. Laërt.* IV, 7, 47, 52. *Strabo* I p. 15. Quod autem hic addit: *οἵην ἐκ ῥακέων ὁ Βίων*, quae versus Homerici parodia est, dubito an ad *pannos facetiarum philosophicis Bionis disputationibus assutos* cum Welckero (p. CXII) potius referam, quam ad *Cynicorum disciplinam*, quam deseruerat Bion. Cf. *Diog. Laërt.* II, 7, 57, ubi *χλαμὺς* et *ῥάκος* opponuntur, ut *Cyrenaicae* et *Cynicae* disciplinae discrimen indicetur. Ceterum Cynicorum *τριβων* maxime memorari solet, ut hoc ipso loco *Diog.* IV, 7, 51.

bem arripuit, ejusque stultitiam arguit. Compertum habebat, *μὴ δυνατὸν εἶναι τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν εἰ μὴ πλακοῦντα γενόμενον ἢ Θάσιον οἶνον*. Itaque, acerbo et mordaci stilo usus, sermonibus sive satiris populi ineptias exprobravit, ac potissimum mihi videtur in exagitanda superstitione populari versatus esse. Nam, ut Theodori disciplinam aliquamdiu secutus erat, qui *ἀθέου* famam et cognomen subierat quod licentius de Diis disseruerat, ita probabile est discipulum, quem modestius sensisse constat, superstitionis maxime stoliditatem et calamitatem more suo, i. e. *φορτικοῖς ὀνόμασι κατὰ τῶν πραγμάτων* usum, perstrinxisse. Neque vestigia desunt, quibus haec opinio confirmari possit [1]. Itaque facile credo, hanc librorum Bioneorum — quos numero complures fuisse patet [2] — partem Lucilio exemplo fuisse, cujus in ridendis superstitiosorum nugis diligentiam supra declaravimus [3].

« Postremo — ait Hermann — exstitit qui ad Rhinthonicarum fabularum similitudinem descenderet, quas quum heroico versu usas esse reperisset, etiam metri discrepantiam hac ratione vitare sibi videbatur, idemque nostris temporibus invenit quibus persuaderet [4]. » Respicitur Laurentii Lydi locus: *Ῥίνθωνα καὶ Σκίραν καὶ Βλαῖσον, καὶ τοὺς ἄλλους τῶν φλυακογράφων ἴσ-*

---

1 *Diog. Laërt.* II, 12, 117. IV, 7, 50, 51. *Plut. de sera Num. vind.* p. 561. *Seneca de benef.* p. 371. *Bayle Dict.* v. Bion.

2 *Id.* IV, 7, 47.

3 p. 187.

4 p. 31. *Düntzer Op. l.* p. 23.

μεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητάς, καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν. Ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος, ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. Μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικοὺς, οἱ νεώτεροι, τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες, τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις, τῶν δὲ μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι, τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν —[1]. Ut hoc Lydi testimonium quo valeat et quanti sit perpiciamus, de Rhinthone et, cujus fabulae auctor habetur, hilarotragoedia paucis videre operae pretium erit. Rhinthon Syracusanus fuisse videtur, natus Ptolemaeo Sotere regnante. Videtur tamen mature Syracusis Tarentum profectus esse eamque alteram patriam habuisse, unde *Tarentinus* dictus est[2]. Appellatur κωμικὸς et cognomen habuisse fertur φλύαξ, quod est φλύαρος ὑποκοριστικῶς et ab Hesychio exponitur γελοιαστής. Hinc φλυακογραφία fabulae genus dici coepit, quod primus excogitavit Rhinthon. Aliud eidem generi nomen est ἱλαροτραγῳδία, cujus significatio aperta est ex iis quae de auctore feruntur: τὰ τραγικὰ εἰς γελοῖα μεταῤῥυθμίζων καὶ παίζων ἐν οὐ παικτοῖς, ἀλλὰ φλυαρῶν ἄντικρυς. Horum dramatum argumentum creditur comicum fuisse, in quo vis co-

---

1 *De magistr. Reip. Rom.* I, 41. Cff. *Grysar de Sophrone mimographo.* Colon. 1838 p. 11. *Reuvens Collect. lit.* p. 38, 69 sqq. *Osann Anal. crit.* p. 69 sqq. Locum edidimus partim ex Reuvensi emendatione.

2 Cff. *Brunck Anal.* I p. 196. *Suid.* v. Ῥίνθων. *Steph. Byz.* v. Τάρας. *Eustath. ad Dionys. Perieg.* 976.

mica ab argumentis tragicis peteretur, quae ex cothurno in soccum detorta cum parodia deriderentur [1]. Dubitatum est utrum hilarotragoedia simplex carmen scenicum esset, quod recitari soleret et cum mimica actione esset conjunctum, an fabula omnibus numeris absoluta. Fuit cui satyrici dramatis imitatio videretur [2]. *Dramata* scripsisse Rhinthonem Stephanus Byzantinus docet, Lydus *comoediam* eum tradit primum hexametris condidisse; praeterea, quod Tarenti inventa erat, *Italica comoedia* appellari consuevit [3]. Quare non est quod assentiamur Reuvenso suspicato, Lydum, διδάγματος nomine inventum Rhinthonis insignientem, non satis tenuisse propriam ejus rationem et conformationem. Quam etsi nobis obscuram esse fateamur, nihil quippe ex antiquitate subsidii aut argumenti nactis, quod ad formam ejus et naturam investigandam valeat, tamen illud liquet, παρῴδους fuisse phlyacographos [4], qui tragoedias veterum ita ad communem hilaritatem contorquerent, ut ridendi locus amplissimus spectantibus pateret. Atque haec quidem considerans non satis mirari possum, quae causa Hermanno fuerit, cur Rhinthonem veterum epicorum argumenta et orationes spectatoribus ridendas proposuisse eoque in genere totam Rhinthonis poësin versatam esse existimaret. Hujus igitur instituto Lucilium tradit Lydus primum hexametris co-

---

1 *Osann l. l.* p. 71. Cf. *C. O. Müller Dorier* II, 364.

2 *Eichstaedt de dram. Gr. Com. Sat.* p. 44.

3 Cf. *Reuvens l. l.* p. 77.

4 *Osann l. l.* p. 73.

mici more cavillatum esse. Possit quaeri, utrum unice hexametri usum ei debuerit, an alia ab eo mutuatus sit. Mihi quidem utrumque probatur atque, cur in eam sententiam inducar, ostendam. Meminimus, duplex sibi Lucilium lectorum genus exoptasse. Nam primum dicere solebat, ea, quae scriberet, neque a doctissimis neque ab indoctissimis se legi velle; itaque cupiebat mediocriter doctos, qui eorum, quae scripsisset, nec nihil intelligerent, nec plus quam ipse. Modestiae hoc sane insigne erat indicium. Sed reformidans idem Scipionis et Rutilii, quos in doctissimis ponere non veremur, judicium, Tarentinis ajebat se et Consentinis et Siculis scribere [1]. Contrarium hoc videtur priori sententiae; non enim *mediocriter doctos* sed *indoctissimos* illos existimare par est. Parum nos juvat Madvigii animadversio, dicentis Lucilium iis se scribere indicasse, qui, in confiniis Graecae et Latinae aut potius Oscae linguae nati, parum subtiles essent scriptorum judices, et in Brutacibus bilinguibus ab Ennio positi essent, quod Graece et Osce loquerentur. Porro ut dem, Wesenbergium scite suspicatum esse, Lucilium facete orationem parum puram et Graecis verbis intermixtam excusasse, certe illud falsum est, quod e duobus Luciliani operis locis petita putavit, quae de Persio quaeque de Scipione et Rutilio Cicero memoravit, ita ut altero non doctissimis nec tamen rudibus se scribere significasset, altero indoctis et vulgo [2]. Non enim *scripsisse* illud, sed

---

1 Sup. p. 16, 82, 94, 110.

2 *Madv. ad Cic. de Fin.* I, 3, 7.

dicere solitus fertur, hoc vero *scripsisse.* Itaque nolumus id ad vivum resecare, aut experiri numquid ad conciliandam utramque sententiam valeat. Potius quaeramus, si vera sit Madvigii interpretatio, quid *Siculos* loquatur Lucilius jam extra positos fines remotos, vel quae causa fuisset, cur a Scipione et Rutilio sua legi nollet, quos Graeca non minus calluisse quam Tarentinos, contra facilius mixtum utrâque linguâ sermonem excusasse, unus quisque censebit. Non igitur sufficiunt illa, ut nobis constet, cur Lucilius Tarentinis, Consentinis et Siculis se scripsisse affirmarit. Suspicor equidem, propterea hos memoratos ab eo fuisse, quod similitudo quaedam inter hilarotragoediam, quae, Tarenti orta, per finitimas regiones atque in Siciliam propagata est, et satiram exstaret. Negavit Hermann hanc, ut a Lucilio auctore profecta est, ad parodiarum genus referri posse, quoniam nec fragmenta nec veterum testimonia nec carminis indoles similitudinem aliquam ostendant: Horatii autem et Gellii testimoniis [1] tantum tribuit, ut statuat, Lucilium, summae libertatis exactique judicii hominem, quum universa aequalium vitia sibi exagitanda proposuisset, ne ei quidem generi pepercisse, in quo se ipsum aliquid posse intelligeret; parodias vero Caecilii, Terentii, Pacuvii, Accii a Lucilii carminibus heroico metro conscriptis alienas esse [2]. Congruunt sane magnam partem Hermanni sententiae ea quae supra disputavimus. Patuit enim, in *criti-*

---

1 Sup. p. 180 memoratis.

2 p. 32.

cis eum fuisse et singularem antiquioribus poëtis diligentiam adhibuisse [1]. Nihilominus eam critici personam festivi hominis more gessisse, nec grammatici jejunitate inquinavisse censendus est. Itaque *risisse* eum Ennii versûs ex Annalibus, qui gravitate epici carminis minores essent, Horatius refert; qui ridendi modus qualis fuerit, e Servio didicimus, qui *irrisione* eum usum esse diserte tradidit. Porro quod *mutavisse* in Accio idem perhibetur, nonne pariter eo valet, ut arbitremur Accii et Pacuvii ampullas et sesquipedalia verba *ἐς τὸ γελοῖον μεταῤῥυθμίσαι*, ut illud *repandirostrum?* Nos etiamsi plura parodiae exempla in reliquiis non invenerimus [2], tamen nulla causa est cur propterea negemus, abundasse iis Lucilii opus. Quin, quantam operam in eo studio posuerit, Gellii locus docet; qui, memoratis comicis et tragicis Romanorum maxime nobilibus, his ipsis *clariorem* Lucilium fuisse tradit, qui eorum poëmata *obtrectavisset*. Critici igitur munus tuitus est ea dignitate, quae non minus facetum quam emunctae naris poëtam decebat. Quodsi, quae hac ratione scripserat, indigna judicavit quae Scipionis judicio subjicerentur, contra

---

1 p. 181.

2 Pacuvium attigit fr. XIX, 8: *Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste*, quod docuit me *Naeke Ind. Prælll. Bonn.* 1823 p. 4 « Pacuviana fabula Dulorestes quum ageretur aliquando, accidit histrionis culpâ, qui Orestem agebat, et raucus esset factus, ut displiceret fabula vel risu exciperetur. Lucilius fortasse eo loco miseram esse tragicorum poëtarum sortem demonstrabat, quorum salus in histrionum dexteritate posita esset. »

Tarentinis ceterisque qui Rhinthonicis spectaculis delectarentur, probatum iri jocans affirmabat.

Ex hac testimoniorum veterum investigatione puto manifestum fore, audacius Hermannum statuisse, ex se omnia Lucilium petiisse neque fulcro extrinsecus arrepto eguisse. Judicii enim acquitas postulat, ut eum dicamus juvenem praeclarum ingenium aluisse veterum lectione et variorum monumenta scriptorum diligenter pervolvisse. Quod autem Horatius omnem pependisse ab antiquae comoediae auctoribus hosque secutum esse scripsit, nec praeterea memoravit ceteros, quibus similiter studuisse censendus est, haud scio an non eo valeat, ut multum eum abfuisse dicamus a servili imitatione eorum qui senescentis in Graecia artis aequales vel auctores fuerunt, contra, quidquid ab his petierit, ita suopte ingenio expressisse, ut naturam referret optimorum exemplorum studio auctam et adjutam, sed nullâ artis curâ expolitam. Superest, ut mentionem faciamus incerti scriptoris *de tragoedia et comoedia*, quem alii Donatum, alii Evanthium censent. Locus, qui ad nostram disquisitionem pertinere censetur, paulo aliter scriptus invenitur in *libello de fabularum, ludorum, theatrorum, scenarum ac scenicorum antiqua consuetudine, ex optimis auctoribus collecto, ad comicos facilius intelligendos.* Utrumque describam:

« Fuit vetus comoedia Graecis *archaea* dicta, quia esset de nobis parum cognitis vitiis: item etiam *eteonymos*, quia inesset in ea « Per priscos poëtas non penitus ficta argumenta, sed res gestae a civibus palam cum eorum saepe, qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis,

velut historica fides verae narrationis et nominatio omnium, de quibus scribebatur. Sed quum poëtae in comoediis abuti licentius stylo et passim laedere ex libidine coepissent plures bonos, lege lata, ne quisquam in alterum infame carmen scriberet, tacuerunt. Satira exinde sumpsit exordium. Estque genus fabulae, quae a Satyris (quos illotos et petulantes Deos scimus) nomen sumpsit. Fuit autem ejusmodi, ut in ea (quamvis duro et agresti joco) tamen vitia hominum, sine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per scirpos et aenigmata magnae res deseriberentur. Id vero genus fabulae multis obfuit poëtis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, quod illorum facta descripsissent in pejus, ac deformassent fabulae genus stylo carminis. Post exoletam satiram, inventum est a poëtis aliud fabulae genus, quae comoedia nova dicta est [1]. »

cum unusquisque caveret, culpâ ne spectaculo ceteris esset et domestico probro. Sed cum poëtae in comoediis abuti licentius stylo et passim laedere ex libidine coepissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata, siluerunt. Et hinc deinde aliud genus fabulae, id est satyra sumpsit exordium, quae a Satyris (quos illotos semper et petulantes Deos scimus esse) vocitata est: etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Haec, quae satyra dicitur, ejusmodi fuit ut in ea, quamvis duro et veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus comoediae multis obfuit poëtis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus, ac deformasse genus stylo carminis. Quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poësin inde faceret, id est, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo supra diximus, modo coacti omittere satyram, aliud genus carminis, τὴν νέαν κωμῳδίαν, hoc est, novam comoediam, reperere poëtae [2]. »

Miri fuerunt eruditorum de hoc loco dissensus, aliis *satyrae* appellatione Graecorum *satyricam* poësin intelligentibus, ambigentibus vero, utrum hoc vocabulum

---

1 *Gron. thes. Gr. Antiqq.* VIII p. 1695 sqq.

2 *Terent. Comm. ed. Lindenbrog.* p. 27 et *Zeunio. Bondam varr. lectt.* p. 321 laudat *Platonium de differ. comoed.*

restituendum sit an imperite is fecerit, qui diversissima poëseos genera Graecae et Latinae uno nomine comprehenderit [1], aliis carpentibus grammatici obscuritatem et negligentiam, qua imprudens facile decipiatur et vel Lucilium ad Graecorum satyricorum morem *jambis*, vel hos Luciliano more *hexametris* scripsisse sibi persuadeat [2], aliis totum locum ad veteris Romanae poëseos historiam inepte accommodantibus [3]. Verum e lectionis varietate patere opinor, alienâ et imperitâ manu interpolata esse, quae de Lucilio memorantur; quae interpolatio multos decepit et in eum errorem induxit, ut confusam Graecorum et Romanorum poësin existimarent. Vitio autem sublato nemo amplius dubitabit, quin ad Graecorum comoediam et Satyricum drama referendus sit locus. Unde vero illa *Lucilii* mentio? utrum temere injecta, an aliunde arcessita? Nihil quidem simile aliorum testimoniis constat; verum odorari licet, unde is, qui adjecit verba illa, petierit. Nonius tradit: « Poësis et poëma hanc habent distantiam: poësis est textus scriptorum, poëma inventio parva, quae paucis verbis expeditur. » Sequuntur Lucilii versus qui partim J. Dousam auctorem habent:

Nunc haec quid valeat, quidve huic intersiet illud,
Cognosces: primum hoc, quod dicimus esse poëma,
Cujusvis operis pars est non magna poëma;

---

1 *Casaub. de Satyr. poësi* p. 29.

2 *Reuvens l. l.* p. 83.

3 *Rupert. de Sat. Rom.* p. XLIII.

Pars est parva poëma, proinde ut epistola quaevis:
Illa poësis opus totum, ut tota Ilias, una
Est θέσις, Annalesque Enni, atque istoc opus unum
Est multo majus quam quod dixi ante poëma. — [1]

Non, quod voluit Dousa, Nonii sed Varronis sunt: « poësis est perpetuum argumentum ex rhythmis, ut Ilias Homeri et Annales Ennii. » Merito Vossius Lucilium Graecos secutum esse statuit, Aphthonii verba laudans: ποίησις μὲν πᾶσα ἡ Ἰλιάς· ποίημα δὲ ἡ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων κατασκευή [2]. Similia quoque Isidorus habet: « Poësis dicitur Graeco nomine opus multorum librorum, poëma unius [3]. » Itaque, si recte vidit Dousa, in Lucilio corrigens *istoc opus unum*, suum Lucilius opus significasse, atque hinc sciolus suo modo in incerti scriptoris locum transtulisse censendus erit. Utut est, probatâ Dousae emendatione, quod gravissimum nobis esse videtur, illud constare efficimus, perpetuum argumentum Lucilii satirarum fuisse [4].

Dicendum nobis restat de metro, quo Lucilius usus sit. Meminimus Lydi sententiam esse, ἡρωϊκοῖς ἔπεσι κωμῳδῆσαι Rhinthonis imitatione primum eum insti-

---

1 *Lucil. Fr.* IX, 8. Cf. *Dous.* p. 124.

2 *De art. poët. nat.* c. 4. (*Opp.* III p. 13.)

3 *Origg.* I, 28.

4 Recens exiit *H. Schoenbecki Quaestt. Lucilian. particula.* Posen 1841. pgg. 46. 8. Quaesivisse scriptorem accepi 1 quod institutum C. Lucilius in componendis satiris secutus sit. 2° de studiis doctrinae, quae in satiris expressit. 3° de elocutione Lucilii. De horum programmatum fatis dixi p. 172.

tuisse [1]. Consentiunt Lydo antiqui Horatii interpretes ad ejus sat. I, 10, 64. «*Auctor*) i. e. satyrae. Graeci non scripserunt satyram integram h. e. heroico carmine, sed miscuerunt cum comoediis.» — «*Intacti carminis*) Quia primus satyram Graecis intactam versibus hexametris scripsit, etiam Graecis auctor hujus operis est.» Alius: «Nulli Graecorum hexametris versibus hoc genus operis scripserunt [2].» Hinc facile quis putet, non inspectis Lucilii satiris, solis hexametris universum Lucilii opus constitisse. Idemque Horatium voluisse censeas, qui, cum veteres comicos secutum dicens, addit: *mutatis tantum pedibus numerisque* [3]. Ad quae verba interpres vetus: «Alio metro usi sunt antiqui illi poëtae, qui comoedias scripserunt, alio Lucilius, scilicet heroico, qui satyras composuit.» Recteque haec statuisse eum, alius Horatii locus ostendit supra laudatus, ubi Lucilium senis pedibus claudere versus consuevisse significat [4]. Sed contra esse quam illi docent, ipsae reliquiae probant, quae tantum abest ut unum et continuum metrum ostendant, ut jambicos trimetros et trochaicos tetrametros bene multos invenias. Hermann ita rem expedire conatus est, ut, quamquam trochaico numero integros libros Lucilius composuerit, singulos tamen singulis metris, eoque ut plurimum heroico, conscriptos putet [5]. Quam sententiam Dousae

---

1 p. 301.

2 *Comm. Cruq.* p. 399.

3 Sup. p. 290. *Comm. Cruq.* p. 349.

4 p. 101.

5 p. 25.

jam fuisse patet, qui ex triginta satyrarum libris viginti priores hexametris totos constitisse fragmentorum fide affirmari posse suspicatus erat, reliquos omnes praeter trigesimum — ex heroicis compositum — aut jambicis aut trochaicis numeris constitutos fuisse. « Si quos vero, inquit, in iisdem libris aliquando versus heroicos offendas, eos ab aliis libris aberrasse putato incuriâ librariorum maxime[1].» Neque abhorret ab hac opinione, quod ambigue dictum in Horatio supra explicuimus *stans pede in uno*, quo perpetuus unius metri usus indicatur[2]. Suspicor tamen, etiam alius generis metra exstitisse in Lucilii opere, primum quod plurima fragmenta inveniuntur, quae apud Dousam tanquam omnis metri lege soluta exstant — prosam autem Lucilium, ut deinde Varronem, poësi immiscuisse non facile credimus ac vetat Quintiliani auctoritas —; praeterea Petronius favere huic opinioni videtur, qui postquam ea scripserat, quae jam memoravimus[3], hos versus edidit:

Artis severae si quis hamat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius mores
Frugalitatis lege poliat exacta:
Nec curet alto regiam trucem vultu
Cliensque coenas impotentium captet;
Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem, neve plausor in scena
Sedeat redemtus histrioniae addictus.

---

1 *Ad Lucil. Fr.* p. 99.
2 p. 101.
3 p. 87, 88, 108.

Sed sive armigerae rident Tritonidis arces,
Seu Lacedaemonio tellus habitata colono,
Sirenumque domus, det primos versibus annos,
Maeoniumque bibat felici pectore fontem:
Mox et, Socratico plenus grege, mutet habenas
Liber et ingentis quatiat Demosthenis arma.
Hinc Romana manus circumfluat, et modo Grajo
Exonerata sono mutet suffusa saporem:
Interdum subducta foro det pagina cursum,
Et fortuna sonet celeri discincta meatu.
Dent epulas, et bella, truci memorata canore:
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.
His animum succinge bonis, sic flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba[1].

Non sane constat, a choliambis ad hexametros Petronium Lucilii imitatione transiisse: videri enim potest acerbitatem tantum Lucilianam exprimere voluisse et carmine quod sentiebat effundere. Verum utroque modo eum secutum esse veteris poëtae exemplum, probabilius est. Fortasse etiam disticha, cujus unum tantum, Metrophanis epitaphium[2], legitur, in fragmentis plura latent. Certe Ausonii *Villula*, quod Luciliano stylo exaratum poëmatium esse vidimus[3], distichis compositum totum est: in quo fateor me nescire quid Lucilium sapiat praeter has figuras:

Parvum herediolum, fateor: sed nulla fuit res
Parva unquam aequanimis, adde etiam unanimis.

---

1 *Satiric.* c. 5. *Brunck Anthol. Lat.* III, 127, 128.
2 Sup. p. 61, 128.
3 p. 129.

et:

Verum ager iste meus quantus sit, nosce: etiam me
Noveris et noris te quoque, si potis es:
Quamquam difficile est se noscere: γνῶθι σεαυτὸν
Quam propere legimus, tam cito negligimus.

Acrius vero atque accuratius totum hoc de Luciliani metri varietate caput investigare longum est. Quapropter satis habemus, universe quaedam monuisse, in quibus elaborandis et ad certiorem rationem revocandis ingenii acumen requiritur.

Operae pretium est tandem breviter ea componere, quae deinceps exposuimus. Luciliana satira istiusmodi carmen fuit, quo poëta in civitate, a vetere disciplina degenere et ad morum depravationem proclivi, virtutis causam et dignitatem tueri conabatur. Indignatione commotus, acrem se et violentum omnis pravitatis vindicem probavit, ita tamen ut sermonis asperitatem comitate et urbanitate temperaret, et antiquae ac vernaculae festivitatis lepore haud raro exhilararet. Princeps sibi munus habuit, non solum omne vitii genus aggredi, sed etiam vitiis laborantes Romanos, cujuscunque loci, ordinis, conditionis essent, nominatim summâ libertate insectari et, specie omni detracta, integros communi opprobrio objicere: contra illorum, quos virtus nobilitaverat, imaginem expressit, quod speculum esset erubescentibus et mentem ad virtutem erigentibus. Huic praecipuo proposito accessit poëtarum, oratorum, philosophorum aliorumque obtrectatio, diligens grammaticae et criticae facultatis exercitium, poëtarum, potissimum tragico-

rum Romanorum, parodia et variarum rerum mentio. Operis formâ usus est epistolari [1], quam sic instituit, ut in satiris cum suae tum aliorum essent dicendi narrandique partes [2], nec minus ipsius Lucilii [3] quam aliorum mentio injiceretur. Opus liberi et soluti ingenii proles: compositio non artificiosa sed extemporalis: ratio talis, ut in infinita rerum varietate unum et perpetuum argumentum esset, partibus aptum et connexum: metrum, pro variis animi sensibus ingeniique motibus varium, plerumque versibus heroicis constabat, saepius vero ad incitatiores jambos et trochaos, magis commoti et effervescentis animi testes et administros, pergens, ceterum asperius et inconcinnius compositum: sermo, linguae puritate excellens, humilis, familiaris, Graeca Latinis miscens, apologis [4] et festivis comparationibus exornatus, verbosior,

1 Cf. sup. p. 167, 184, 255. In *Lucil. Fr.* XXVII, 4 legitur:

— *Salutem fictis versibus Lucilius*
Quibus potest impertit, totumque hoc studiose et sedulo.

J. C. Scaliger de re poët. p. 47 hinc probare studuit, satyricas comoedias scripsisse Lucilium; *Casaubonus* vero *de Rom. Sat.* p. 292 iisdem versibus usus est, ut ostenderet, epistolarum formâ satiras quasdam eum confecisse.

2 Sup. p. 218, 227, 247.

3 *Fr.* IX, 6. XXVI, 6. XXVII, 4, 5. XXVIII, 31. XXIX, 10.

4 Apologus v. c. Aesopi de leone decrepito, quem cum adirent varia animalia, vulpes recusabat, non ausa accedere, quod vestigia illorum prorsus ferri omnia, nulla retrorsum videbat. *Fr.* XXX, 2, 3. Cf. *Auctar. post Comm. Cruq. ad Hor. Ep.* I, 1, 73. *Plat. Alc.* I, 123. Fusius hunc apologum ex aliis Lucilii fragmentis explicuit *J. Gulielm. Veris.* II, 1. Ennium aliam Aesopi fabulam in satiris adhibuisse docui p. 281.

cujus character non gracilitatem sed potius affine vitium squaloris ac jejunitatis referebat [1]; interdum tamen perfectionem attingens, mox vero eam ipsam laudem sententiarum verborumque redundantiâ vitians [2].

Haec equidem de Lucilio ejusque satirae genere dicenda habui. Non dubitamus amplius Horatio et Quintiliano assentiri, totam Romanam esse et Graecis ignotam testantibus ac principem in eo poëseos genere locum obtinuisse Lucilium, qui ausus sit

Primus in hunc operis componere carmina morem.

---

1 Malo Horatii quam Varronis in his sententiam sequi. Cff. quae disputavimus p. 95 sqq.

2 Cff. *Rupertus de Sat. Rom.* p. XLIII. *Manso* (Nachtr. z. Sulzer l. l.) *Bernhardy Grundriss d. Röm. Liter.* p. 85, 244. *Düntzer Op. l.* p. 23.

LUCILII FRAGMENTA, QUAE DOUSAM LATUERUNT.

Solvi, quae receperam, quam potui religiosissime. Abest tamen multum, ut quae illustrare studui aut ad majorem probalitatem perducere, patere censeam. Quare futurum spero, ut si qui sint qui dissentiant — quos me nacturum confido — urbane dissentiant, amice moneant, vehementer persuadeant. In primis vero, ut Lucilii fragmentis ea, quam multi dudum flagitarunt, cura impendatur, opto. Accepimus, novas a Gerlacho et Lindemanno Nonii Marcelli editiones parari eosque, suis quemque bonorum codicum subsidiis instructum, opus illud suscepisse. Quae res ut prospere cedat quanti momenti sit iis, qui antiquitatis studiosi sunt, omnes norunt, qui Nonium pervolverunt; plurimum tamen Lucilii causâ interesse, cujus reliquias magnam partem illius industriae debemus, nemo negabit. Juvat igitur hîc nonnulla addere Luciliana, quae passim reperi, et nondum collecta esse scio.

I.

Hieronymus Comm. in Micheam c. 7 (Opp. Vol. V p. 167) « — Sed et poëta sublimis (Virgilius); non Homerus alter, ut Lucilius de Ennio suspicatur, sed primus Homerus apud Latinos. »

Cf. sup. p. 181.

II.

Barth. Advers. XV, 3. « Ad Hor. Ep. I, 14, 19 in cod. interpretatio est vocis *tesqua* cum exemplo ex Lucilii libro II. *Tesqua) loca inutilia, quae subigi non possunt. Loquitur in villicum. Lucilius in* II:

— per inhospita tesqua vagantem
Rerum animo sequitur captarum gratia major. »

Glossar. Labbaei: Tesqua s. tescua *κατάκρημνοι καὶ ῥάχεις καὶ ἔρημοι τόποι. Varro de L. L.* VII, 10—12. *Fest. v.* tesca. Sup. p. 184.

III.

Vett. Intpp. in Virg. Aen. II, 81 p. 25 Maji. « *Fando)* Lucilius in II: *Fandam atque auditam iter ab ima fl...* »

Cf. *Varges Lucil. Sat.* III p. 14. (Cf. sup. p. 59.)

IV.

Nonius v. periculum. «Experimentum. Lucillius lib. XXIX: *Cujus si in periculo feceris periculum.* »

V.

Cledonius Arte p. 1896 Putsch. « *Pampinus* et *dies* generis sunt communis: hic pampinus. Accius

in Bacchis: *Deinde ab jugulo pectus glauco pampino obnoxae obtexunt.* Haec pampinus. Lucillius: *Purpureamque uvam facit albam pampinum habere.*

VI.

Vett. Intpp. in Virg. Aen. IX, 373 p. 60 Maji: « Lucilius: *Facti subpudet (tu di.....)* »

Sub pro *parum* poni solere ad h. l. notat *Asper.*

VII.

Scholl. Bob. in Cic. orat. p. Flacco p. 254 Orell. « Nec aliter etiam Lucilius de eorundem (Tusculanorum) moribus sentit, hoc dicens: *prima Papiria tu solidarum.* »

Orell. « Num pro *tu solidarum Tusculanarum* vel *Tusculldarum?* Sequitur autem versus Graecus oblitteratus. Wunderus probat *Tuscolldarum.* » Cf. sup. p. 235.

VIII.

Festus: « Quintanam classem ait Verrius dictam, quod in ea Ser. Tullius Rex distributa capite censorum multitudine quinque fecit, cum eas ordinavit, hanc autem afferri causam de capite censorum nomine, quod ii, quo censerentur, nihil praeter se haberent suumque caput. Lucilius sic meminit: *quod — adeptus.* »

IX.

Consentius de barbarismis et metaplasmis p. 30 Buttmann: « Poëtae faciunt metaplasmos cum ipsi jam scripturam relinquunt corruptam, ut est: *Relliquias Danaum —.* Addidit enim unam literam per metaplasmum l. Item contra, sicut Lucilius: *Ore corup-*

to; dempsit enim unam literam per metaplasmum r.

Cf. sup. p. 119.

X.

Barth. Advers. XXXVII, 22 *ad Hor. Ep.* I, 17, 55. « *Catellam.* Digna memoriâ est glossa in omnium antiquissimo, quot mihi videre contigit, exemplari reperta: *Catella diminutivum est a catena, dixitque catellam imitatione Lucilii.* »

XI.

Servius ad Virg. Aen. VIII, 9 p. 708. *Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem.* « Diomedes postquam reperit ira Veneris a se vulneratae uxorem apud Argos cum Cillabaro, ut Lucilius, vel Cometa, ut plerique tradunt, turpiter vivere, noluit reverti ad patriam..... vel ut dicitur ab adulteris proturbatus, sed tenuit partes Apuliae. » —

Cf. *Lucil. Fr.* XXIX, 62.

XII.

L. Caecil. Minut. Apulejus de orthographia p. 3. « Busiris cum i latino, qui apud Jovis aram hospites mactabat, divinoque judicio ab Hercule ibidem mactatus est auctore Charonte in quarto Apollonii commentario, Pherecyde, Homeroque minore; ex nostris Nasone et Calvo, Lucretio vero in primo. Neptuni filius fuit ex Epaphi nata Libya, Diodoro atque Lucilio, cui Cornelius Rufus in lyricis ita subscribit —. »

Osann, qui haec Apulejani libelli fragmenta Darmstadii a. 1826 edidit, ad h. l. p. 19. « Quamquam plerique mythogra-

phi Lysianassam hanc Epaphi filiam Busiridisque matrem perhibent, tamen nil mutandum hic censui, quum viderem, Epaphi filiam etiam Λιβύης nomine apud Apollodorum II, 1, 4, 1 et Syncellum Chronogr. p. 152 appellari, quamvis Heynius ad Apollod. II, 5, 11, 7, qui iterum Lysianassam profert, id discrimen ex confusione inter Busiridem vetustiorem et recentiorem, si qui fuerunt, facta ortum esse dicat. Quam plurimum autem ab hoc abludit Agatho apud Plut. de fortuna Romana p. 315, Busiridem ex Neptuno et Anippe (l. Aganippe) genitum tradens.» Nemo hunc Busiridem a Lucilio significatum fuisse putabit apud *Cic. de N. D.* I, 23, 63; quem locum explicui p. 164, 165.

XIII.

Cassiodorus de orthographia p. 2283. « Q litera tunc recte ponitur, cum illi statim u litera et alia quaelibet una pluresve vocales conjunctae fuerint, ita ut una syllaba fiat: cetera per e scribuntur. Hoc Lucio quoque videtur.»

Videtur legendum Lucilio. Cf. sup. p. 9 et 151.

XIV.

Consentius l. l. p. 12. «*Conque tubernalem*, quo Lucius in metro crebro utitur.»

Buttmann: «Lucilium procul dubio intelligit Consentius, et est novum hujus figurae exemplum.» Cf. sup. p. 116.

XV.

Diomedes Gr. II p. 424. (Locum supra p. 118 laudavi).

Infantibu' parvis est finis Lucretiani versus ex l. I, 187 et a Mar. Maximo Victorino (sup. p. 117) memorati. Neque tamen propterea putandum, apud Diomedem Lucretium legendum esse.

XVI.

Barth. Advers. XXXII, 1. « In ms. commentario Isidori, qui *Differentiarum* in membranis inscribitur, quem publicare aliquando et emaculare volo, non intelligo quid sibi velit: *Mortuum corpus, jam exanime, emortuum, morti proximum. Lucretius:*

Mortua si dicas jam pridem emortua molis.

Toto Lucretio nihil tale exstat. Nescio an somniaverit rhapsodus, an vero sit Lucilianum aliquid isthic corruptum. Scriptura sane clara et perspicua est. »

XVII.

Charisius Inst. Gr. I, p. 43 Putsch: « *Camara* dicuntur, ut Verrius Flaccus affirmat, non *camera* per e. Sed Lucretius,

— *Cameraeque caminis*
Ex cratibus

dicendo, etiam *cameram* dici posse ostendit. »

Cramer Comm. vett. in Juven. p. 509. « In his verbis haereo, nec me expedio. Quid enim illa *ex cratibus?* Lucretii esse nequeunt propter legem Pediam, sed nec illa *cameraeque caminis* ibi reperio, etsi totum Lucretium pervolverim. An igitur Lucilium voluit? » In *Bedae* lib. *de orthographia* p. 2779 legitur: « *Camara* dicitur, ut Verrius Flaccus affirmat, non *camera* per e: sed Lucretius, *cameris ex teretibus* dicendo, etiam *cameram* dici posse ostendit. »

DISQUISITIONUM SUCCESSIO.

1. C. Lucilii vita. . . . . p. 7— 68.

2. » » indoles et ingenium. . . . . » 69— 92.

3. De poëtica Lucilii facultate. . . . . » 93—119.

4. Lucilianae poëseos existimatio apud posteros. . . » 120—134.

5. Studium et opera in Luciliana poësi posita. . . » 135—148.

6. Quamdiu exstiterunt Lucilii carmina? Reliquiarum editiones. . . . . » 149—158.

7. Operis Luciliani argumenta. . . . . » 159—197.

8. De personis Lucilianis. . . . . » 198—235.

9. Scipio et Laelius. . . . . » 236—250.

10. Quis Luciliani operis habitus fuit? quid in eo mutatum? . . . . . » 251—262.

11. Satirae origo. . . . . » 263—284.

12. Quem locum Lucilius in satirae scriptoribus tenuit? » 285—315.

Accedunt Lucilii fragmenta, quae Dousam latuerunt. . » 316—321.

P. 7 l. 9. *Vitâ* l. *Vita.*
» 16 » 8. ab durante l. ac —
» 27 » 20. a Duronio, ut videtur, l. a Didio, —
» 31 » 14. 86 l. 68
» 34 » 18. Scaliger ie Su essa I. Scaligeri de Suessa
» 35 not. 3. l. *Sat.* II, 1, 75.
» 83 » pen. l. Oscam vero, Campaniae, in qua natus erat, propriam, vernaculam habuit.
» 105 » 5. *amne . amne* l.
» 115 not. 1. l. *Dion. Hal* —
» 125 l. 14. recentiorum — l. recentium poëtarum et oratorum —
not. 2. l. p. 88.
» 191 l. 11. qua i l. quasi.
» 196 » ult. *uti arenarius* l. *uti ancharius* —
not. 4. post VI, 3 add. Cff. *Facciol.* v. angarius et *Morin diff. conject. sur l'anchialus de Martial* (Mém. de l'Acad. d. Inscr. t. II p. 352.)
» 220 l. 20. exprobratione l. exprobrationem
» 228 not. Add. Cf. *Fabr. Bibl. Lat.* II p 237—239.
» 235 l. ult. post *bello*? add. Onfentinam tribum memoravit fr. inc. 187.
» 255 l. 9. nostre l. nostra.

JO. ADOLPH. CAR. VAN HEUSDE

EPISTOLA

AD

CAR. FRID. HERMANN

DE

C. LUCILIO.

annes olus

JO. ADOLPH. CAR. VAN HEUSDE

EPISTOLA

AD

CAR. FRID. HERMANN

DE

C. LUCILIO.

Trajecti ad Rhenum,

TYPIS MANDAVERUNT KEMINK & FILIUS.

MDCCCXLIV.

1844

CAROLO FRIDERICO HERMANN

VIRO CLARISSIMO

S. P. D.

J. A. C. VAN HEUSDE.

Καλῆς ἐκκέκρουκάς με ἐλπίδος, vir praestantissime! Nam postquam literis ad me datis Idib. Dec. a. MDCCCXLII, et amicitiam et benivolentiam erga me tuam declarantibus, spem mihi egregiam feceras, indicando «decrevisse te, mox in ephemeridibus Gottingensibus palam exponere, de Lucilio quantum tibi mecum conveniret, quantum non,» haec equidem talia exspectabam fore, ut, detectis denudatisque vitiis, aliquid certe frugi in libro meo superesse constaret, quo non omnino oleum et operam me perdidisse intelligerem. Secus accidisse ac speravissem, non sane tua culpa est, qui quid in animo tunc haberes, quod propediem mecum palam communicaturus esses, probe ipse noveras, etsi me imprudentius eclares: mihi tamen ut nova et inexspectata, ita perquam salutaris fuit censurae illius tuae ratio. Quod plane tum cognovi quum, lectâ Roversi, conobrini mei, oratione, compereram, quanti interesset, antiquitatis interpretem in dubitando prudentem esse. Sed ubi

primum me ad legendum dedi, obstupui, argumentorum stragem, opinionum et inventorum vastationem, conjecturarum prope internecionem dolens, nec, quis essem, aut quae suscepissem aususque essem, sciebam. Nec cessit ille dolor, et vero mansit animi incerti status, nominis tui auctoritate ipsiusque orationis tuae, in magna gravitate ridiculi speciem aut prodentis nonnunquam aut aegre caventis, tenore confirmatus. Accedebat, quod multum disparem nostratium de libro meo sententiam cognoveram, ac fuerat, qui me etiam laude ornatum, ut in colligendis edendisque Lucilii poëtae reliquiis porro operam ponerem et communi desiderio satisfacere conarer, hortaretur. Ego quamvis docti viri judicio, ut par erat, diffiderem, consilium tamen ejus facile probatum secuturus eram. Nosti autem ingenium humanum, a tenui spe, at haud mediocri voluntate ac studio saepe parvo momento ad majorem audaciam et confidentiam proclive. Jam ante multa disposueram, tentaveram, emendasse mihi visus eram Lucilii fragmenta, neque vero ignavus fueram in perlustrandis dijudicandisque variarum annotationum copiis, quae ad illustranda poëtae fragmenta facere poterant. Sat igitur praesidii atque adjumenti jam nactus mihi videbar, ut quod occoepissem atque me animus juberet, perficerem aliquando. Verum, haec dum parabam, supervenit epistola tua, laetum nuncium ferens, ingentem rei exspectationem movens, et in praesentia quidquam persequi vetans. Itaque tu audiendus erat; quem, ut promissis stetisse intellexi, audivi contracta mente, fronte subobscura. Nec mirum; quippe ea, quae satis diuturno temporis spatio sedulo elaboraveram, ἀκρισίας damnata, vitae Lucilianae capita ad unum omnia reprobata, ceteris vix ullam verae approbationis speciem adjunctam, verbo, opusculum meum plus dimidia parte improbatum

videbam. Quo spectaculo motum subiit me misericordia Croesi exclamantis coram Solone: Ὦ ξεῖνε Ἀθηναῖε, ἡ δὲ ἡμετέρη εὐδαιμονίη οὕτω τοι ἀπέῤῥιπται εἰς τὸ μηδέν; Tum vero respiciens laborem meum inutilem, aggemebam mihi Persianum:

O curas hominum! Quantum est in rebus inane!

Verum, quod dixi salutarem mihi fuisse censuram tuam, sic habeto. Effecisti, ut editi operis, cujus me capere oblivio coeperat, memor essem, argumentorum, quibus in disquirendo usus fueram, ordinem ac vim animo repeterem, eorum autem, quibus tu contra usus esses, diligentior a me ratio haberetur. Quae quoties, sedatiore jam animo atque aequiore, meis opponebam, toties usu mihi veniebat, ut me non amplius tam pigeret poeniteretque eorum quae in lucem miseram, quam ante poenituisset. Quin dubitare coepi, num, quod saepius te urgentem videbam, vere haberet, ingenii excitati impetu et agilitate plurima me movisse, promovisse parum. Atque hujus quidem dubitationis maturitas impulit me, ut, diligentius singulis retractatis, de his ipsis ad te scriberem. Neque id te moleste laturum confido, aditum ad te non facile cuiquam, tui haud minus audiendi quam tuendae veritatis studioso, qua es urbanitate, interdicentem. Quapropter bono animo exordiar, αἴ κε πίθηαι.

Carpsisti in ephem. Gotting. a. MDCCCXLIII num. 36 sqq. libri mei formam et distributionem, quam tumultuariam nec certo definitoque consilio atque ordine institutam pronunciasti. Id injuriâ a te factum esse, consentiet qui animadverterit, quemadmodum in componendo libro sim versatus. Non enim *collectanea* quaedam conflare mihi propositum erat; quem in errorem te induxit titulus, in quo *contulit* ad *studia critica* referendum esse, non nude

accipiendum, patet; ac feci aliorum exemplo, qui hujusmodi studia in alios scriptores scriptorumque monumenta contulerunt. Malui vero, in integro perpetuoque argumento meam operam versari; in quo suscipiendo elaborandoque ne divagarer imperitorum nautarum more, quasdam mihi stationes, ante quam inchoarem iter, statui, ad quas identidem consilii compos appellerem. Neque istud dico, quasi absolvisse me omnia, de quibus scribere institui, perhibere velim, quippe in acutioribus atque intelligentioribus plus fidei quam in memetipso ponens, quos et plura inventuros quam ego praestitissem, et verius singula, quae exposuissem, dijudicaturos existimabam. Tantum dico, non, ut quaeque subito menti intentae obvenissent, chartis me illevisse, sed adhibito judicio in omni materia dispensanda et ordinanda versatum esse, ut inventioni dispositio, dispositioni scriptio succederet. Multum igitur abest, ut vere affirmaveris, me, quum ad scribendum accessissem, vix suspicatum esse, qualis scribenti rerum moles immineret, quae consilii inopem oppressura esset. Nil te celabo; nam partim verum vidisti, partim te opinio mirum quantum fefellit. Initio non nisi de Lucilii vita ac poësi disputare volueram; mox plura tractanda esse videbantur, atque omnia investigare, quae ad argumentum pertinere censebam, placebat. Crevit igitur materia, crevit animus, crevere diligentia ac patientia. Accesserunt ex aliis alia, tandemque finibus universae disputationi constitutis, quam viam in partienda tenerem, sedulo quaesivi, nec diu dubius haesi. Illa enim, tanquam stationes, capita mihi praescripsi, quibus disquisitionum successionem continerem. Haec jam certa erant ante quam quidquam scripto mandaveram. Sed accidit, ut res ipsae, quarum commemorationem breviorem mente meditatus fueram, uberius aliquanto

explicarentur. Hoc ipsum indicavi p. 263: *Plura dicenda habui, quam me habiturum esse tum divinabam, quum praefatione aditum ad hunc librum aperiebam.* Spectant eo, quae de lege Thoria p. 49 sqq., de morum Lucilii aetate conditione Romae p. 70 sqq., alia passim, disputavi. Quod autem *extremum* caput p. 149 memoravi, quum e tredecim sextum esset, feci, quia eo absolvebantur quaestiones, quas universe movere ante placebat quam de opere satirico peculiariter agerem. Nec vereor ne cuique manifestum sit, verbis praefationis: *periculum faciemus, num certi quid de ejus facultate poëtica ceterisque, quae ad ejus poësin proxime pertinent,* reapse comprehendi ea, quae de operis *argumentis*, *personis*, *habitu* deinceps disquisivi; quae si quis neget cum *poësi* Luciliana quidquam commune habere, aut non proxime conjuncta esse, errat: nam Lucilii versus, quos p. 309 descripsi, secus esse docent. Itaque universe ac conjunctim comprehendere verbis illis praefationis satis habui, quae varia deinceps singulatim expositurus eram. Quodsi sex primis capitibus priores libri mei fines constitissent, quaero, quî fieri potuerit, ut praefatione duo postrema capita diserte indicarentur.

Porro aegre fers, capiti septimo duobusque sequentibus succedere decimum: prius enim quaeri oportuisse de operis habitu vario, quam sermo esset de materia. Sed tu vide, quaeso, ne disquisitionum ordo recte se habeat, quodque consulto feci, ut omnia analytice explicarentur, probandum sit. Mihi enim a re notiore et illustriore ad obscuriorem magisque ambiguam progredi visum est: itaque a materia ad formam, non a forma ad materiam processi. Nec sane perinde hîc feci ac facere soleo, quoties peregrinam urbem, vel prisci aevi memoriâ, vel recentioris aetatis

monumentis spectatam, ingressus sum, quam cognitam perspectamque habere cupio. Ipsam v. c. Gottingam — in quam civitatem delatum memini patris beneficio me adire Heerenum, quod tu sidus excepisti exstinctum — Gottingam igitur visenti puerulo gratum erat, a parentibus in Georgiae Augustae speculam me educi, unde in vicinam regionem, qua late patebat, prospectus erat, et ipsius urbis rationem conditionemque contemplari licebat. Quam rerum notitiam uno conspectu consecutis gratior esse multo solet singulorum, quae intus latent, adspectus. Similiter hîc non feci; nam quae magis patebant, argumenta et personarum varietatem, prius exponere quam habitum operis perplexum eruere satius videbatur. Quo simul factum est, ut, illis patefactis, lucis aliquid his affunderetur faciliusque haec et brevius expediri possent. Nec magis tibi consentio, duo extrema capita, quibus de *satirae origine* et *satira Luciliana* disputavi, alienum locum occupare, quae, te judice, praecedere omnem disputationem debuissent. Primum enim non satirae historiam conscribere mihi propositum erat, sed Lucilium exhibere, virum sui temporis excellentissimum, ejus vitam attingere, ejus aetatem describere, in conspectu ponere non solum cum quibus aequalibus ei res esset, sed vim etiam indicare et rationem, qua iis restitit, hoc volui, hoc egi, in hoc totus fui. Qua via progressus eo perveni, ut, quis ei esset in satirae scriptoribus locus, ostenderem. Haec mihi mente finxeram, Lucilium, qualis fuisset et quantus, illustraturus. Praeterea vero sententiam equidem tuam probare iccirco non ausim, quod praepostera ratio illa videtur, si quis, nondum cognitis hominibus, in ea, quae effecerunt aut condiderunt aut quoquo modo gesserunt, furiosi instar involet, quum contra longe praestare videatur, si quis eam rationem ineat

ut, in quo argumento operam ponere decrevit, ejus omnes singulatim partes explorare aliisque ostendere studeat; quibus cognitis, non solum capientur ac tenebuntur, quicunque rem totam menti proposuerint, sed capti aegre recusabunt, quominus, quae obscuriora sunt, utcunque animo divinatione assequantur.

Inde ordiendum mihi duxi, unde tu orsus eras. Proximum est, ut, quae tu plurima in libro meo festinationis ac levitatis vestigia tibi invenisse visus es, quae Lucilianum morem redoleant, lente festinando attingam. Itaque oppugnasti primum argumenta, quibus poëtae vitam protrahi in longius spatium oportere contenderam. Fateor, ut multa a me disputata in controversiam vocari posse mihi persuasum erat, ita ne suspicatum quidem esse, quemquam inventum iri, qui de aetate poëtae proferenda a me dissentiret, quum sententiam, diu multumque animo agitatam, attente accurateque perpendissem. Quo magis mirabar te, me refutare aggressum, Vargis sententiae, qui Hieronymi fidem tuitus erat, calculum adjecisse. Illud vero ea in re maxime mirabile mihi accidit, quid causae esset cur tu integram HIERONYMI fidem esse asseverares, eamque tam stabilem judicares esse, ut, nisi certissimo antiquitatis testimonio secus quid esse constaret, stare tu eâ juberes. Quare operae pretium est videre, an tibi auctoritatem ejus mordicus tenenti assentiendum sit. Equidem non totum ejus chronicon datâ operâ pervolvi — quod ut alii instituant valde optabile — sed insignes quosdam errores notavi, quorum comparatione manifestum cuivis fore confido, haud ita temere facere videri, qui, suis rationibus adductus, ejus suspectam habere fidem ausit. Quod si probavero, quae tu contra me disputasti, num valeant, explorabo.

Meministi, me jam disputationis meae p. 10 Hieronymi

negligentiam notare, quod eversam a Scipione Numantiam in Ol. 159 retulit, quum Ol. 161, 4 accidisse eam calamitatem constet. Utiliter me monuit J. G. F. Estré, qui Batavâ linguâ libri mei censuram egit, factam Numantinorum mentionem Eusebio, cetera, quae Lucilium spectant, Hieronymo deberi. Nam legitur in Euseb. Armen. ed. M. p 358 ad Ol. 159,3: *Pompejus Numantinos subvertit.* Quare suspicatus ille est, errasse librarios, qui duplex factum, Q. Pompeji alterum, alterum Scipionis, anno incongruo adscripserint, quum Scipio, non Pompejus, Numantinos subverterit, et hic bellum cum Numantinis Ol. 159, 4 (141) gesserit. Quia vero Eusebius saepius unius anni discrimine sequitur Hieronymi notationem, fieri potuit ut uno anno aberraverit a vero anno, utque et apud eum legendum sit: *Pompejus Numantinis bellum infert*, vel simile quid, et apud Hieronymum facta Scipionis mentio sive ipsius sive librariorum culpâ in alienum annum relata sit. Utcunque est — nihil enim hîc certi erui potest — ad alia pergimus certiora. Video Jos. Scaligerum ad Euseb. Chron. p. 140 properantiae, hallucinationum matri, tribuisse, quod Hieronymus M. Livium, tragoediarum scriptorem, clarum fuisse Ol. 148,2 statuerit, quum flos ejus in Ol. 135,1 incidisse censeri debeat. Sunt qui putent, ab Attio in errorem inductum Hieronymum, ipsum errasse; certe ejus diligentia desideratur, cui aliorum auctoritatem sequi quam ipsum exquirere verum commodius visum sit. Plauti mortem idem Ol. 145, 1 adscripsit, quum Ol. 149, 1 adscribenda fuisset. Sunt qui putent, corrupta Hieronymi verba esse, nec *mortem* Plauti sed aliud quid legi oportere; quum multo probabilius sit, Hieronymi diligentiam desiderari. Ipse saltem Hieronymus erravit, qui Attium poëtam, Ol. 160,2 memoratum, e Pisauri colonis fuisse

docuit, quae colonia deducta erat nondum nato Attio. Nisi quis, Hieronymi consulere famae cupiens, Attii aetate novos colonos deductos, in quibus ipse fuerit, statuat. Porro diserte tradidit Donatus in vita Virgilii, eo ipso die quo hic virilem togam accepit (coss. Cn. Pompejo et M. Licinio Crasso Ol. 181, 2) Lucretium poëtam decessisse. Hieronymus tamen hujus mortem in Ol. 182, 1 retulit, nec sine causa errasse censetur. Pariter, Messalam Corvinum natum esse Ol. 180, 2, falso eum prodidisse, viri eruditi ostenderunt; qui quamvis non omnes consentiant, tamen minimum decennio prius quam Hieronymus fidem facere velit, natum illum esse conveniunt. Cornificii poëtae mors, Ol. 184, 4 adscripta, si Donatum audimus, inimicitias, quas cum Virgilio habuit, referentem, aliquamdiu post accidisse censenda est. Horatium quinquagesimo aetatis anno mortuum prodens Ol. 192, 2, minus accurate statuit, quem quinquaginta septem annos natum decessisse Ol. 193, 1 constat. Eundem errasse, Fenestellam septuagenarium mortuum esse Ol. 199, 3 tradentem, indicat Plinius, qui Hist. Nat. XXXIII, 11 novissimo Tiberii Caesaris principatu eum obiisse testatur. — His exemplis usos quanti nos facere Hieronymi auctoritatem par sit, haud obscurum est. Praeterea plurimorum ille scriptorum aetatem solus indicavit, in quibus quid falsi sit nemo proditurus est. Attamen juvat nonnulla afferre Eusebii Armen. ed. M. R. loca, discedentia pluribus annis ab Hieronymi notatione, ut incertum sit, uter verum viderit. Eusebius ad Ol. 170, 3 M. Furium poëtam, cognomento Bibaculum, natum esse Cremonae retulit. Eundem Hieronymus Ol. 169, 3 natum perhibuit; qui T. Lucretii natales in Ol. 171, 2 referens, iterum discedit ab Eusebio, eas ad Ol. 170, 3 referente. Messalam Corvinum hic natum di-

cit Ol. 180, 4, Hieronymus vero Ol. 180, 2. Silui vero adhuc Hieronymi negligentiam in indicando CATULLI obitu, quam extremum memorare malui, quia propius abest ab ea, quam in Lucilii aetate constituenda commisisse Hieronymum demonstrare studui. Scribit enim Hieronymus: Ol. 180, 4 (57) *Catullus tricesimo aetatis anno Romae moritur.* Jam ipsa Catulli carmina errorem ejus ostendunt; quibus quum non tantum Pompeji alter consulatus (55), sed etiam Vatinii (47) memoretur, plus decennio post incidere Catulli mortem debuisse, quam ille notaverit, patet.

Hinc igitur satis manifestum esse puto, nimium te in aestimanda Hieronymi auctoritate fuisse, faciliusque mihi concessurum, quod in notanda Catulli aetate factum est, ut erraverit ille, idem in Lucilii annis computandis accidere ei potuisse. Jam vero, hoc demto impedimento, ostendam, quid in tua argumentatione offendat. Quaerens enim, quid fieri possit, ut Hieronymi integrum testimonium servetur, in eam incidisti cum Wuellnero opinionem, ut putares, legem Liciniam, quam P. Licinio Crasso *consuli* tribueram, ei *praetori* vindicari posse; quae praetura, gesta a. 650 (104), vulgarem Lucilii mortis annum proxime antecesserit. Etsi autem ego tuam disputandi rationem non prorsus intellexerim, tamen primum plane ex arbitrio fecisti, quod Duronii tribunatum aliquot annis priorem fuisse quam Antonii et Flacci censuram contendisti. Neque enim verisimile est, censores ejecisse e senatu eum, quem ante aliquot annos legem sumtuariam antiquasse constaret, et Pighius Duronii tribunatum in annum 656 (98) retulit, quem annum illorum censura et Crassi consulatus excepit. Quam autem ob causam sine certo argumento statueris, assecutus mihi videor. Nam, ut Duronii illa: — *Lex enim lata est* — valerent, oportere videbas, legem Liciniam recens

fuisse latam; quod fieri non potuit, si longiore intervallo distitisse legem latam et tribunatum illum statueremus. Tum quod dixisti, legem Liciniam, quae, paucis mutatis, in plerisque cum Fannia congruebat (Macr. II, 13), severitate pristinas superasse, diserto testimonio Gellii (II, 24) refellitur. Namque Fannià quidem non severior, sed mitior fuit; cujus rei hoc indicium est, quod quum utrâque certis diebus centenos aeris impendi permitteretur, sola Licinia nuptiis quoque ducenos indulsit, quumque illâ, in singulos ceterorum dierum, sumtus intra aeris alias tricenos, alias denos, inclusi essent, haec tricenos constituit. Non me fugit, Macrobium narrare, sancitum Liciniâ fuisse, ut calendis, nonis, nundinis Romanis cuique in dies singulos triginta asses edundi causâ consumere liceret, ceteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur quam carnis aridae pondo tria et salsamentorum pondo libra, et quod ex terra, vite arboreve esset natum; non nescio, Portunianum, teste Jo. Salesberiensi *Polycrat.* VIII, 7, addere, Liciniam numero convivarum et quantitati sumtuum et cautioni locorum, dierum et temporum praescripsisse regulam, ne quotidianis liceret exsultare conviviis, dies certos praefinientem, quibus esset permissum convivari. Sed videbis, quantillum hîc novi statutum sit, inspecto Athenaei loco (VI, 108), ubi, Fanniam memorans, eâ dicit sancitum fuisse, ne quis praeter domesticos plures quam tres convivio exciperet, nundinis vero quam quinque: ne quis porro amplius quadraginta assibus obsoniorum causâ impenderet, neve carnis aridae quotannis amplius mille octoginta libris pondo consumeret, olerum vero terrâ natorum et leguminum coctorum quantum quisque vellet. Quidquid igitur severitatis superest, illâ, quam dixi, largitione et indulgentiâ eum ad modum temperata fuit, ut, quod Macrobius

universe testatus est, verum sit, in plerisque cum Fannia Liciniam consensisse. Contra legem Didiam non tantum amplificationem Fanniae dici posse, quia universa Italia, non sola urbs, eâ teneretur, sed etiam illâ severiorem jure habendam esse, quia non soli qui prandia coenasve majore sumtu fecissent, sed etiam qui ad eas vocitati essent atque omnino interfuissent, poenis legis tenerentur, haud, credo, ambiguum est. Miror vero, te existimare, Duronium in Fanniam, obsoletam legem, invectum esse, quum te judice jam lata esset tribuno illo Licinia, rursusque contendere te, Liciniam, illicite perlatam, facillime a tribuno plebis abrogari potuisse. At vero Liciniam nunquam a quoquam abrogatam esse, commentationis meae pag. 24 indicavi, Gellii loco usus, quo eam in iis legibus sumtuariis memorat, quae *situ atque senio obliteratae sunt.* De Didia vero hoc nusquam traditum est; hanc igitur solam abrogare potuit et abrogavit Duronius. Quam ob rem non moveor tua disputandi ratione, quo minus meam de Liciniae latae tempore sententiam teneam; tantum moveor, ut me errasse fatear, quod Duronii tribunatum in a. 657 (97) retuli, quum Pighii testimonio inciderit in a. 656 (98). Verum hujus erroris confessio opportune alius me erroris admonet. Nam M. Antonius et L. Flaccus, quorum censura in Crassi consulatum a. 657 incidit, non potuerunt legem Didiam, anno ante a Duronio abrogatam, in memoriam et usum revocare, quod p. 26 suspicatus eram. Quid vero? si idem a superioribus censoribus factum statuamus, quod a proximis non potuit. Nisi fortasse suspicari praestat, legem sumtuariam quandam abrogatam esse a Duronio, cujus ad nos memoria non servata sit. Sic quidem omnia expedita erunt, neque opus erit confugere ad subitam illam exolescentis Didiae a censoribus factam instaurationem. Fieri

autem potuisse ut nec Gellius nec Macrobius illam legem memoraverint, quo loco singulas deinceps latas sumtuarias datâ operâ exposuerunt, docent omissae a Gellio Orchia et Didia (II, 24). Nam, memorato SCto, Fanniam laudat intermissâ Orchiâ, et Fanniâ laudatâ, *lex deinde*, ait, *Licinia rogata est*, quum inter utramque intercessisse Didiam manifestum sit e Macrobio: *Fanniam legem post annos decem et octo lex Didia consecuta est.* Quamvis hîc nihil probari possit, tamen hoc quam illud probabilius esse fateri necesse est. Namque etsi haud absurdum esset existimare, Duronium in eam legem, quae tempore exolescens censorum auctoritate subito vim recuperasset, tanquam in novam invectum esse his verbis: *Freni sunt injecti vobis, Quirites, nullo modo perpetiendi* — . *Lex enim lata est, quae vos esse frugi jubet* — multo tamen gravior ejus oratio erit, si reapse legem recens latam eâ exagitatam putamus. In quam sententiam discedentibus conjicere haud displicebit, ejusmodi capita ignotâ illâ lege sancita fuisse, quae plebem potissimum premerent, quae tribunum moverent ut abrogaret eam, quorumque abrogatio tantum studium optimatibus ferendae Liciniae injiceret, aegerrime quippe ferentibus, Orchiâ et Fanniâ obliteratis, Didiâ, quaeque huic quoquo nomine successerat, abrogatis, sumtûs populi non amplius cohiberi.

Haec de *Licinia* lege extra fines Hieronymianos in a. 657 (97) referenda. De *Calpurnia* autem neque quod addam habeo, neque quod defendam, nisi minus recte tibi visum esse Lucilium significare eam voluisse, quam *de pecuniis repetundis* L. Calpurnius Piso primam tulit, quae, sociorum causâ constituta, aequissima fuit. De qua quidquid veterum testimoniis accepimus, a severitate et saevitia quam longe absint, aequior quisque judex videbit, collatis

quae in legum indice Orellius collegit. Ergo ne hic quidem quidquam statui, nisi quod antiquitas me docuerat.

Neminem fore confido, qui inconsiderate me in constituenda Lucilii aetate egisse accuset. Ipsa argumentorum dispositio ostendit, certiora me incertis ac verisimilibus praeposuisse. Itaque legem Liciniam, cujus perlatae tempus fluctuabat, ad certum annum ante revocare malui, quam Bruti Ciceroniani locum, disputationis meae p. 27, 28, conjecturâ emendare. Sentiebam enim, quam lubrica essent istiusmodi argumenta e proprio sensu aut judicio pullulantia, quam raro communia omnium suffragia ferrent, quam paucis persuadere plerumque solerent. Hoc tu consilium meum aut non vidisti aut parum curasti. Pari prudentia in locis de Oratore de Lucilio Româ absente necdum mortuo explicandis p. 28, 63 versati nobis esse videmur. Namque sic demum explicationem de iis nostram ausi fuimus emittere, ubi de Calpurnia lege quid veterum testimoniis statuendum videretur constabat. Sed locum Ciceronis in Bruto accuratius animadvertenti tuamque de eo sententiam comparanti fateor non displicuisse mihi quod conjeceram. Si enim sanus esset locus atque ironice, ut monuisti, accipiendus, Cicero, bis sibi idem de Crassi tribunatu narrasse Lucilium prodens, poëtae carmina, non sermonem aliquem indicasse censendus esset. Quaero igitur, utrum simplicior ratio suadeat, ut *narrare* de scripto an de verbis voce prolatis interpretemur. Mihi quidem ut hoc simplicius, ita mori Ciceronis magis consentaneum videtur esse. In qua opinione magis confirmor, si proxima, quae Brutus respondet, adverto. Nam postquam dixerat Cicero: *Crassi ita tacitus tribunatus, ut nisi in eo magistratu coenavisset apud praeconem Granium, idque pueris nobis narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus*

fuisse. Ita prorsus, inquit Brutus, *sed ne de Scaevolae quidem tribunatu quidquam audivisse videor, et eum collegam Crassi credo fuisse.* Alia aliis placeant; mihi quidem similiter a Bruto *audivisse* dictum videtur, ac *narravisse* a Cicerone. Nec vero quod usitatissimum Ciceroni fuisse patet *pueris nobis*, parum mihi causae videtur esse, cur illud reponendum censeamus.

Postremo vocabulum *senex* de viro priscae aetatis intelligi debere judicans, mavis, aliorum scriptorum auctoritate usus, alienam Horatio vocis significationem obtrudere, quam ex ipso poëta videre, quid probet, quid repudiet. Parum mihi quidem ea ratio satisfacit, existimanti, interpreti maxime cavendum esse, ne temere putet, quae aequalibus et posterioribus scriptoribus verborum vis fuerit, eâdem valuisse ea etiam ceteris omnibus. Consulto Horatio, in eam sententiam perlatus sum, ut negandum mihi videatur, *senem* apud eum nisi de ipsa senectute, juventuti contrariâ, dici: quidquid Ovidius, Martialis, ipse Persius, quem urges, sibi dicere licere putarunt, nulla causa est, cur Horatium dixisse et intellexisse censeamus, quoties iisdem verbis usus inveniatur. Neque Albutium *senem* hîc recoquam, cujus a te nulla mentio est facta, quum fieri debuisset.

Defensionem sententiae meae de Lucilii aetate exhibui, ne cui absurda leviterque suscepta videretur. Jam, eheu! rapior in medias conjecturarum mearum ruinas. Desperati sane laboris esse putabis, eas velle restituere. Equidem, quae largienda tibi erunt, largiar, quae servanda existimabo, servabo et propugnabo. Parum necesse duxisti, apud Suetonium de ill. gramm. c. 1 pro *familiaris sui* legi *familiaribus suis*, quod p. 46, loci totius ratione adductus, suaseram. Speciosum enim tibi visum est, quod

verbis *in magna frequentia* respondere *familiaribus suis* censebam. Cujus sententiae inopportunitatem sic probare conatus es, ut familiaritatem illam, quae Archelao et Philocomo cum Lucilio fuisset, causam haberes, cur hujus poëtae opera illi pari studio, quo aliorum alii, versarent et divulgarent. Quod quo manifestius esset, afferre tibi superiora placuit, ubi Suetonius carmina, parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractata ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facta a Romanis tradidit. Quaero, quum, primum *amicorum* deinde *aliorum* mentione injectâ, exemplis utentem Suetonium videamus, utrum magis conveniat, ut quos primos exempli causâ posuerit, an quos postremos, in amicis poëtae numeremus; primi autem sunt Lampadio et Varguntejus, postremi Archelaus et Philocomus. Hos igitur si jure amicorum numero eximimus, cur *familiaris* iis dictus sit Lucilius, non video: sin in amicis ponendi, mirum cur Suetonio, omissa amicitiae mentione, quae Lampadioni et Varguntejo cum scriptoribus, quos explicuere, intercessisse putanda sit, memorare familiaritatem libuerit, quae postremos cum Lucilio conjungebat; tandem, quomodo libertini illi familiares esse potuerint Lucilio e nobili genere orto. Praeterea scire cupiam, cur Pompejum Lenaeum et Valerium Catonem e magno auditorum numero solos memoraverit Suetonius, cur hi dicantur Lucilii satiras *legisse* apud magistros, quum magistri modo dicti essent ipsi *legisse* et nota fecisse ceteris et pronunciasse in magna frequentia. Equidem, nisi me vertigo cepit, patere haec omnia, si correxeris *familiaribus suis*, censeo, laudoque Suetonium accuratum scriptorem, qui quum *ceteris* dixisset, hos bipartito divisit, in *publice* audientes et *privatim* legentes. Vidi,

in aliam longe sententiam Suetonii de Lucilio verba interpretatum esse J. Beckerum (*Ztsch. f. Alterth.* 1843 n. 30-33) qui peculiari disputatione de Lucilii satirarum distributione egit. Hic publice recitatas esse ab Archelao, Vectio et Philocomo Lucilii satiras contendit, easdemque in illorum aedibus Lenaeum et Catonem publice praelegisse. Non credo, Vectium et Philocomum diversas personas fuisse; qua de re quid mihi visum sit, in disputatione p. 137 exposui. Etiamsi vero diversae personae fuissent, nequaquam tamen cum Beckero faceremus, qui *Vectium Titinium* fuisse existimavit eum, quem Lucilius reprehendit. Hunc enim, quem oratorem *Vectium Vectianum* fuisse, probabiliter statuimus p. 197, parum verisimile est operam posuisse in poëtae carminibus divulgandis, a quo se reprehensum sciebat. Incredibile autem prorsus est, alienis aedibus usos esse Lenaeum et Catonem grammaticos, ut praelegerent Lucilii satiras, quum res ipsa moneat ut existimemus, illos praedicasse in libris, quos reliquerunt, se juventute discendi causâ domum convenisse, Archelai Lenaeum, Philocomi Catonem, ibique Luciliana legisse interpretibus illis.

Aureus vero es, qui mihi insigne Pighii aes appenderis. Quem ego virum etsi magnis laudibus celebrem, tamen nolo omnia ejus mea haberi. Nam quae ejus verba memoravi p. 56, ut qua ratione Ciceronis de Oratore locum (II, 70, 284) tentasset et explicare studuisset, pateret, ea ipsa verba, nimiâ festinatione lusus, mihi appinxisti, quibus non valde me ornatum sentio; contra nesciis, quid rei sit, ne ridiculus videar maxime vereor. Mea igitur defendens ac Pighiana valere jubens, pergam. Caecitatis me arguisti, quod versus:

Publicanus vero ut Asine fiam scripturarius

Pro Lucilio, id ego nolo et hoc non muto omnia ab alio quodam, non a Lucilio ipso prolatos existimavi. Quamvis velim te medico uti, tamen vereor ut hîc possim. Quinquies enim Lucilii mentionem factam in fragmentis invenimus; semel XXVI, 6, qui locus modo descriptus; tum XXVII, 4 (Cf. disp. mea p. 314)

— *salutem fictis versibus Lucilius,*
Quibus potest, impertit, totumque hoc studiose et sedulo.

Eod. 5: *Tu Lucilium credis contenturum, quum me ruperim, summa omnia fecerim.*

XXVIII, 31: *Lucilius si in amore irritarit suo.*

XXIX, 10: *Amicos hodie cum improbo illo audivimus Lucilio advocasse.*

Ex his quatuor locis cuivis manifestum est, secundo et quarto dicentes de se alios induxisse poëtam, quum primo ipse de se locutus sit. Non igitur prorsus ineptiat necesse est, si quis haec attendens suo jure utatur in simili loco interpretando, moremque poëtae cogitans, qui quidquid sibi vel boni vel mali evenisset, libris tanquam sodalibus mandare soleret, suspicetur eum finxisse, qui publicani negotia, quae recte fideque administranti ipsi multum aerumnae invidiaeque conflassent, obire pro ipso ideo recusaret, quod animi vitaeque tranquillitatem, in quo sibi essent omnia, mutare nollet. Haec satis probabilem sententiam efficiunt. Eximiam quidem speciem tua explicatio habet, Persii illud: *hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo Iliade* cum Lucilianis comparantis, ut similiter hunc dixisse pateret, nolle se publicanum fieri qui Lucilius esset, nec nego plus gravitatis locum habiturum; verum ita reapse esse et nugatum me esse, qui aliam neque alienam versibus significationem tribuerim, nullo modo constat nec prius constabit, quam cognoverimus, quem ad modum cum ceteris frag-

mentum illud cohaeserit. Itaque quae de Lucilio publicano scripsi, quaeque inde duxi ut librum satirarum nonum illustrare conarer, nondum argumento tuo refutata, sed ne vix quidem debilitata puto, quum ipse assensus fueris, nihil obesse prorsus, quominus publicanorum societati ad haerere Lucilius potuerit. De *pistrino*, quod Lucilio proprium fuerit, risisti; quem tibi risum, valetudini proficuum, gratulor; res enim incerta non tanti, nec persuasio mea tanta, ut verbis digladier, modo consentias, non omni fundamento suspicionem meam destitutam esse; facileque alios in eandem mecum sententiam perventuros, docebit te disputatio Beckeri l. l. p. 249, 250, qui, nondum viso libro meo, mire in iisdem concinuit, temere vero pistricem validam *Collyrae* ὑποκοριστικὸν nomen habuisse suspicatus est, quum amicae Lucilii legatur nomen fuisse.

Quae de extremis vitae fatis dixi, ea non omnino vera esse recte me monuisti, quum jam amicus me monuisset, non sufficere Horatii locum (Sat. II, 1,57 sqq.) a me tentatum p. 66, ut Lucilium in exsilium abiisse censeamus. Mitto igitur quod de eo loco conjeceram. Verum de altero Horatii loco (Sat. II, 1, 28 sqq.), ubi Lucilii vita omnis velut votivâ tabulâ descripta patere dicitur, non assentior tibi existimanti, verbis illis usum esse poëtam, ut significaret, tam perspicue clareque suam Lucilium vitam enarrasse in libris, ut tabulae pictae instar videretur. Putidum sane esset, si quis in quovis alio poëta ad amussim omnia explicare tentaret et in imaginibus ea quaereret quae quaerenda non sunt: in Horatio vero fere solo secus habere arbitror, quem tam accuratum in omni re et exponenda et vero illustranda habes, ut cum pulvisculo quaevis exhauriri possint. Quem adeo mirarer cur, si *tabulae* comparatio ei suffecisset, *votivam* additurus fuisset. Nisi quis

existimet praestitisse id tabularum genus accuratiore et illustriore rerum etiam minutissimarum expositione; quod qui affirmet, nemo erit. Itaque eam, quam dixi, calamitatum, fortunam secundam superantium, notionem equidem subesse puto; in eamque sententiam magis inducor, comparatis quae p. 59 et 178 memoravi de Alcaeo, Sapphone et Anacreonte, qui pariter volumina sua sodalium loco habuerunt. Alcaeus autem exsilii, belli et navigationis mala, quae ipsi acciderant, carminibus inseruit; quem imitatus Lucilius sua infortunia, qualiacunque fuerunt, haud exiguam scribendi materiem, scripto consignavit. Quodsi jam quaerimus, cur Neapolin migraverit et consenuerit, viam a Beckero patefactam persequar. Is enim acute vidit l. l. p. 258, in extremo satirarum libro, qui trigesimus est, injectam esse C. Caelii judicis ejus, de quo egi p. 62 et cujus p. 67 rationem habui, mentionem. Quum autem etiam senex scripsisse censendus sit (cf. disp. mea p. 262), probabile est, eum propter Caelii injustitiam urbe cessisse et Neapoli in eum extremâ satirâ iracundi animi vim effudisse.

Vides, quas ob causas a te dissentiendum mihi visum sit. Quare nec concedo, quod tibi sumsisti, inanis molis instar primam libri mei partem, ᾧ ἐπὶ πόλλ' ἐμόγησα, corruere. Quod an de ceteris probabilius affirmaveris, dispiciendum jam erit. Non moror, jure an injuria p. 114 *princeps* in *deinceps* mutaverim; certe dubitabam, an vetus interpres reapse de Lucilii apud Romanos in genere poëseos jambico principatu cogitasset: quod si fecisset, saltem *apud Romanos* additurus fuisset. Sed haec quidem flocci. Majus illud est graviusque, quod de *auditore* apud Juvenalem iisque, quae p. 145 sqq. de recitatione Lucilianorum exposueram, animadvertisti. Atque hoc quidem

ego recitationis studium, quem ad modum natum esset, quomodo auctum atque propagatum, quamdiu servatum apud Romanos, datâ operâ nec levibus rei indiciis usus, designaveram. Quare frustra causam quaero, cur tibi rem, meâ quidem sententiâ alicujus momenti, leviter attingere et expedire placuerit; nec, spero, moleste feres, si, qua ratione sic statuerim, paucis moneam. Postquam enim de Archelai et Philocomi privata disciplina, in quam Pompejus Lenaeus et Valerius Cato admissi fuissent, p. 46, 47 disputaveram, — quam sententiam vidimus nondum refutatam esse — ad Catonem p. 138—141 redii, quidque operae ille in Lucilio posuerit et meditatus sit, fuse indicavi. Tum p. 146 eidem non injuriâ principem ut in Lucilii admiratoribus, ita in ejusdem recitatoribus publicis locum vindicare studui. Huc me et Horatii de eo mentio et epigramma, quod de singulari ejus studio et docendi ardore servatum est a Suetonio, impulerunt. In quo epigrammate cum dicatur *solus legisse poëtas*, meo jure utor si, in memoriam revocato Suetonii loco quem p. 46 exhibui, verba quae ibi leguntur: *ut — legendo commentandoque — nota facerent*, explicationis causâ affero. Nam utroque loco *legere* de ipsis doctoribus usurpatur, ut apud eundem paulum infra *legere* de Lenaeo et Catone discipulis dicitur, et c. 24 de M. Valerio Probo, qui *legerat* quosdam veteres libellos apud grammatistam. Privata igitur haec lectio fuit, publica recitatio illa. Perperam vero Becker p. 243 illud *qui facit poëtas* sic explicuit, ut de veterum poëtarum libris ab eo distributis et commentariis illustratis cogitaret, quod curiosius esse Suetonius docet, qui indicaturus, Catonem grammaticum etiam ad poëticam tendentibus peridoneum fuisse magistrum, versus illos memoravit. Quod vero Sirenae Latinae Cato

in eodem epigrammate comparatur, non dubito quin eo valeat, ut pronunciandi suavitate et gravitate auditores allexisse eorumque numerum ita auxisse perhibeatur, ut ceteri, qui Romae publice docerent, in vacuis auditoriis soli declamarent. Non mihi tu id largiris, qui de obscuratis ceteris, non desertis significatum esse mavis. Neque vero ego huic accedere interpretationi tuae gravarer, nisi epigrammate id memoratum esset; cujus ut singulare esse acumen solet, ita haud scio an non Sirenes mentio ipsum illud acumen prodat, ut plus in recessu habeat, quam fronte promittat: contra tua explicatio languere videtur, nec micam salis ostendit. Quodsi cetera Bibaculi legimus, magnopere confirmantur quae dixi; dicit enim: *mirati sumus unicum magistrum.*

A Catone igitur, recitatorum coryphaeo, exorsus, ad Juvenalem p. 145 progressus sum, qui rubuisse *auditorem*, cui frigida mens esset, criminibus, quoties velut ense stricto Lucilius infremeret. Hic te mire fluctuantem video. Nam primum conjicis, versibus illis vim proditam esse, quam Lucilii carmina in aequalibus habuerunt; tum typice Lucilii nomen pro cujusvis satirici usurpatum credis; *auditorem* vero eum habes, qui satirici operis cognitionem quoquo modo percipit. Alterum illud falsum esse, locus ipse docet, nec video quomodo G. Reini exemplo id tueri possis. Aperta enim est poëtae de sua aetate mentio. Nec typum agnosco, nisi et *magnum Auruncae alumnum* Juvenalis, et Persii *secuit Lucilius Urbem* typica habenda sunt. Praeterea maluissem, *auditorem* apud Latinos ea, quam dixisti, significatione in usu fuisse ostendisses, quam Plutarchi morem a Wyttenbachio notatum, ἀκούειν ita usurpantis, indicasses. Tacuisti autem de Gellio, cujus testimonia quum minime negligenda mihi visa sint, ut etiam

post Juvenalem publice recitatas esse Lucilii satiras pateret, rem illustrare conabor. Juvenalis aetas in Neronis et sex proximorum imperatorum tempora incidit. Patet ex ejus satira septima et Persii prima, poëtas aequales carmina sua recitandi immane studium tenuisse, ita ut Martialis X, 70 dicat:

Auditur toto saepe poëta die.

Praeter hunc recitandi morem etiam obtinuisse, ut veterum poëtarum carmina publice legerentur, etsi diserte memoratum non repererim, tamen verisimillimum puto. Quidni enim licuisse putemus, Lucilii satiras et alia aliorum carmina recitare Neronis aevo, quem Suetonius in vita c. 39 refert, nihil patientius tulisse quam maledicta et convicia hominum, neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacessissent, exstitisse. Quod etsi non de omni Neronis aetate valere putem propter illud, quod p. 87 monui, tamen non dubitabimus, quin impunita facultas esset vetera quaeque poëmata auditoribus recitandi. Incertum est, verba dialogi de oratoribus c. 23: «vobis versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio — *legunt*» utrum ad domesticam remotis arbitris lectionem, an ad recitationem publicam pertineant; sed auctor dialogi, Vespasiani aetate illa scribens, paulum infra *auditores* et *audientem* populum communi significatione usurpavit; quae exempla ita augere et cumulare licet, ut apud quem *auditor* lectorem significet frustra quaesierim. Apud Gellium, qui circa a. 150 p. Chr. floruit, plurima indicant recte me statuisse, *legere* de praelegendi more accipiendum esse. Nam IV, 17 Sulpicius Apollinaris et *dicere* et *legere* et *pronunciare* eodem modo dicit, quo *legere* de Lucilii carminum recitatione dictum fuerat. Cf. XVIII, 5, 2—5. XIX, 10, 12. VII, 7, 3. IX, 6, 2. X, 14, 1. Idem

XIX, 8, 1. « Adolescentulus, ait, Romae prius, quam Athenas concederem, quando erat a magistris *auditionibusque* obeundis otium, ad Frontonem pergebam.» Cf. XVIII, 2, 2. Neque alia vis vocabuli est IX, 4, 5: « ea his commentariis adspersi, ut, qui eos lectitabit, is ne rudis omnino et ἀνήκοος inter istiusmodi rerum *auditiones* reperiatur» ubi ἀνήκοος Plutarcheo sensu, *auditio* vulgari accipiendum est. Nam similiter XIII, 19, 5, *auditiuncula* quadam adspersum esse, dictum invenies. Atque haec quidem obstant, ne in tuam sententiam perduci me sinam.

Sed ut hîc longiorem te esse malueram, ita haud paucis defunctus es in refellenda sententia, quam de Rutilii loco p. 129—131, 190 tuli. Causam cur praeter Decium in satirarum scriptoribus Lucillum haberes, invenire mihi in eo visus sum, quod non recte apud te constabat, de utro dixisset Rutilius: *Hujus vulnificis satyrâ ludente Camoenis* —; ceterum enim prorsus ignorare me fateor, unde de Lucillo satirographo tibi suspicio nata sit. Videris igitur existimare, in Lucillum versus illos quadrare posse. Quod mihi tam certum est, quam ad Decium referri nullo modo posse. Nam praeterquam quod proxime praecessit mentio Lucilli, qui, magni nati indole redditus, felix sit tam simili posteritate, quo, quaeso, ista pertineat intempestiva de Decio, satirarum scriptore, digressio, quem Tusciae praefectum arva beata regentem proposuerat? Nihil jejunius fingi potest. Equidem nullus dubito quin, quicunque locum totum accurate perspectum habeat, fateatur, Decii praefecturam a Rutilio memoratam et celebratam esse. Primum poëta respicit quietem provinciae et eximiam felicitatem, regente Decio; tum hanc fortunam non aliorum virtute et consilio partam tueri et

conservare Decium, sed ipsum laboribus et curis suis peperisse eam, et pacavisse provinciam praedicat; simul vero, qua ratione voti compos factus sit, narrat. Quodsi illa satirae vulnificis Camoenis ludentis mentio Decium attingeret, idemque Turno et Juvenale praestantior, judice Rutilio, fuisset, merito miraremur, hanc illius excellentiam tam obscuram mansisse, ut ceteros omnes, uno excepto Rutilio, lateret. Itaque Decium probum Tusciae rectorem, non poëtam satiricum habebimus; Lucillum vero cetera spectare statuentes, non soli suspicati sumus, Lucilium, veterem Romanorum poëtam, cogitari debere, sed Casaubonum sententiae participem habemus. Quod autem summo Casaubono non audax et immane visum est, Decium *Lucilii pignus* appellari, id mihi jure videatur? praesertim cum non magis Lucillus inclytus satirâ vir memoretur fuisse, quam Decium ea laude praestitisse probari potest. Itaque, etsi recte reprehendisti, quod mihi p. 191 gravissimo errore de *Lucilliano domesticorum comite* excidit, tamen non assequor, quum de Decio dictum putaveris.

Hujus vulnificis satyrâ ludente Camoenis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit,

cur proximos duo versus de Decii patre acceperis: quae ratio tua mihi persuadet, incertum te haesisse, quid et quantum de Lucillo, quidque de Decio memoratum a Rutilio existimares. Neque illud verum est, me de Lucilio dicta putasse, quae Rutilius de Decio retulit, *sacri auri justissimum arbitrum* eum fuisse, quod plane ut a mente mea, ita a scriptis abest. Tantum similitudinis indicavit Rutilius inter antiquum poëtam et Decium obtinuisse, quod uterque indole optima esset; quae quum in Lucilio enituisset tam versibus malos et avaros provinciarum praefectos insectante, quam continentiae exemplo eos revocante,

ita communis Decio esset, qui eadem fide et constantia Harpyias circumsistentes removisset. Ac *publicani* quidem mentio, ingrata tibi, mihi cur nondum prorsus displiceat, supra indicavi. Memorabile autem, ter Syriae mentionem fieri. Cauponam Syram III, 33; pistricem mamphularum, panis Syriaci, genera callentem sibi quaeri a Metrophane aut amico poscit absens fr. inc. 13; Tricorium Syrum XXVI, 4. Viderine potest ex Asia Syriam visitasse et Antiochi, cujus domum Romae habitabat, posteros convenisse? Non definiam. Ceterum *stans pede in uno*, quod ego explicui p. 101 de constanti metri heroici usu, nulla causa est cur non sic explicetur. Horatium enim suorum verborum interpretem laudavi, qui postquam Sat. I, 4, 10 dixerat:

— *in hora saepe ducentos*,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno,

eadem repetit Sat. I, 10, 59, ubi satirae quartae rationes reddit:

— *ac si quis pedibus quid claudere senis*
Hoc tantum, contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus — ;

idemque Sat. II, 1, 28 rursus heroicum metrum memoravit:

— *me pedibus delectat claudere verba*
Lucili ritu —.

Novi, interpretibus placere Graecum ὅλῳ ποδὶ et Latinum *omni pede* afferre, quo contrarium exponatur; verum hoc suo Marte, non exemplis usi, faciunt. Mihi commodius videtur Horatianum *chorda oberrat eadem* conferre, ut dicti vis pateat. Immature monuisti, quod Lucilio et Horatio metri heroici usus communis fuerit, propterea hunc illi vitio vertere non potuisse id, quod ipse constantius usurpasset. Qua in re immemor fuisti he-

roici metri a Lucilio primum in satiris diligentius adhibiti; quae aliqua certe ejus laus fuerat, non amplissima, quia suis σχεδίοις deesse limam patiebatur. Evidentius etiam fiet, cur *stans pede in uno*, ambigue dictum, referri ad metri formam oporteat, si superiora inspexerimus, ubi orsus poëta ab antiquis comicis Graecis, hos secutum esse Lucilium narravit, et pedibus mutatis ab iis pependisse. Quo fit, ut in eam nos suspicionem hic ipse Horatii locus traducat, ut, quum diverso metrorum genere, heroico, jambico, trochaico usum esse Lucilium constet, heroicis vero compleverit viginti vel unum et viginti priores satirarum libros et trigesimum, arbitremur, in his maxime scribendis Gratinum, Eupolin et Aristophanem ei exemplo fuisse; quorum imitatio si reliquos pariter libros attinuisset, negligentiae culpam, cujus immunem se praestitit, Horatius vix effugisset.

Jam aggredientem te meam de satirarum Lucilii distributione sententiam videamus. Reprobas, ut plurima, quae veterum locis nisus disputavi. Ecce vero tibi novum reprobandi campum aperuit J. Becker, qui disputatione laudatâ pro lubitu sibi finxit Lucilium, primum *poëmata* quaedam vel poëmatia, variis opportunitatibus subito nata, epistolae formâ amicis singula deinceps missa, separatim edentem, deinde eadem, probata populo, libro singulari colligentem, quem librum, quoniam *posterior* postea successit, similiter e separatim editis poëmatiis conflatus, *priorem* dixit, et Aelii Stilonis nomini inscripsit. Mihi quidem ea Beckeri ratio placuit, ingenio non furiosi instar indulgentis; haud enim singula probare jubeor, sed cognosco quid illi visum sit, quod meum animum jucunde afficit et ad exquirendum excitat; nec ridebo, si qua nonnunquam minus probanda commentus fuerit,

illiberale putans, nec vero invenusta ista NB. iis appingam, ubi eum alacritas fefellit. Sumus enim naturâ vel imbecilliores, vel validiores, vel tardiores, vel animosiores, aut calcaribus aut frenis egemus; uno tamen omnes antiquitatis enarrandae explicandaeque studio conjuncti, quod indulgentia, benivolentia, amicitia cerni oportet, ne fracto animorum impetu, voluntas cesset et relaxetur studium. Beckerum igitur vidi utroque loco, ubi *prior* liber memoratur, quem p. 252 indicaveram, p. 241 usum. Tu utrumque corruptum censuisti et speciose quidem apud Acronem pro *Lucilius in priore libro* Horatii nomen reponis, quia hic Sat. I, 8, 11 Pantolabum et Nomentanum memoraverat. Lubens equidem sententiam tuam probarem, si neutrius nomen in Lucilii fragmentis inveniretur; atqui invenitur Nomentani, quod p. 229 ostendi. Itaque nec cum Düntzero (*Krit. u. Erkl. d. Sat. d. Hor.* p. 84) statuendum est, Horatii eos aequales fuisse, nec tecum faciendum, Lucilium loco pellente, unde pellendus nec Beckero nec mihi videtur. Nam quod monuisti, interpretis illius aetate Lucilii opus divisum in triginta libros fuisse, etsi negari non possit maximeque probabile sit, tamen non video quidni idem, quum mentem non subiret, quo loco libroque memorasset istos nebulones poëta, tantum meminisset in priore operis parte reprehensos, antiquissimam distributionem bipartitam secutus, priorem librum dixerit. Etenim ut Gellius IX, 14, 22 simpliciter *Lucilius in satyris* scripsit, ita interpres ille passim *in satira nona*, *decima octava*, nonnunquam *in satyrarum octavo*, *sexto*, interdum *Lucilius*, omissa satirae et libri mentione, posuit. Accedit, quod plurima in his brevibus scholiis Lucilii mentio vitii suspicionem tollit, quodque nulla ratio est, cur illum, brevissime pauca Horatii loca illustran-

tem, admonere lectorem voluisse credamus, Horatium eosdem nebulones jam supra attigisse. Altero autem loco, quem doctor Herennianus habet, unius Cod. Pith. lectionem (*primo* pro *priore*) ceterorum codicum omnium auctoritati anteponere, et mihi temerarium videtur, nec Beckero, credo, placebit. Sed hac quidem de re tibi minus persuasum esse dicis, quam Lucilianum opus in *unum et viginti* libros divisum nunquam fuisse, quod Varronis loco, a Müllero mutato, nisus, statueram p. 255 sqq. Atque eam tibi persuasionem injecit misera Varronis de lingua latina operis conditio, ejusmodi illa, ut etiamsi sanatus esset locus indicatus legendo: *a qua bipartita divisione Lucilius suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc* —, tamen existimes, jure emendare proxima quoque licere et legere: *satirarum libri primi et vigesimi.* Haec quo pertineant ignoro; neque enim haec verba vel similia apud Varronem in iis, quae sequuntur, inveni. Quare doleo, te non accuratius exposuisse, quid his significatum velles. Nec tam miror, hunc locum Beckerum, sedulo omnia investigantem, non fugisse, quam eo non scite usum esse p. 244 (notâ). Mire autem me a memetipso dissentientem fecisti, qui Lucilii ingenium, sero variis disciplinae subsidiis formatum et exercitatum p. 80, jam ineunte aetate in Scipionis castris ad satiras scribendas accessisse existimaverim. Enimvero aliter judicasses, si ea, quae p. 14—16 monueram, in tempore recordatus fuisses, quae sane prius evertisse oportebat, quam illud persuadere velle.

Ubi ventum est ad librorum titulos, non faciliorem te nactus sum adversarium. Hîc quantumcunque lucis in crassis tenebris accendisse me putaveram, tu admoto ore exstinxisti. Misellus ego! At vero animum non despon-

deo, quin explorem mea, tua perquiram. Quia autem et J. Becker hoc argumentum tractavit, et per ejus disputationem aliquatenus certe Schmidti et Schönbecki opiniones de librorum distributione cognovi, operae pretium erit singula judicio submittere. Placuit his existimare, librum priorem *viginti*, posteriorem *decem* libris constitisse; cujus divisionis probandae causâ nullum aliud argumentum attulerunt nisi metri rationem, quod hexametris viginti priores, jambis et trochaeis praeter ultimum novem posteriores conscripti fuerunt. Verum de vigesimi primi metro nihil constat, cujus ne unum quidem fragmentum superest; quae causa fuit, cur Becker p. 244 dubius haereret, *viginti* an *unum et viginti* parti priori libros vindicaret. Ac facile quis induci posset, ut opinaretur, reapse Varronem *de L. L.* V, 17 priorem Lucilii librum, qui *unum et viginti* libros continuisset, indicasse, heroico metro compositos, neque iccirco necesse esse arbitrari, totum opus Lucilianum iis solis constitisse. Quae sane suspicio, etsi magnam speciem habeat, tamen propterea ferri non potest, quod maxime mirum foret, ante Donatum neminem de novem postremis, qui librum posteriorem effecissent, ullam mentionem fecisse. Itaque haec satis gravis causa impedit, quominus Varronis locum aliter ac p. 257 fecimus, interpretemur. Ceterum conjectura Schönbecki ad XXX (XXVIIII), 17, ubi, teste Beckero p. 255, *decem minutiarum suarum* Lucilium fecisse mentionem putavit, quas ille *viginti* prioribus addiderit, quam incerta sit, Gerlach prodit, qui ad Nonium a se editum p. 232 (notâ), novorum codicum vestigia legens, conjecit legendum esse: *cum dederim vitae meae epitagma Apelli.* Nec vero assentior Beckero, qui, praeeuntibus Lerscho et Schmidto, divisionem in libros triginta curatam fuisse a Valerio Catone

putavit; a quorum sententia cur dissentiam et Schönbecko adhaeream, eam a posterioris aevi grammaticis vulgatam esse suspicato, docui p. 258. Negatum autem et a te et a Beckero video, binas Luciliani operis partes suis titulis insignitas fuisse. Quod tibi videri debuit, divisionem illam non agnoscenti; illi displicuit, quia inter primum et decimum sextum librum interjecti librorum tituli reperiantur. Equidem p. 254, 255 nec negavi nec affirmavi, suos singulis libris titulos fuisse, sed miratus sum, cur e triginta titulis praeter duo communes, *Deorum concilium* et *Collyram*, unus tantum servatus sit *Fornix*. Vos vero plures notos esse statuistis. Ac Becker quidem tertii libri titulum *iter ad fretum Siculum* habet, quem ὁδοιπορικὸν Lersch appellavit. Mera haec suspicio est, nec nisi credulo probabitur. Librum nonum *Orthographiam* inscriptum fuisse, utrique vestrum persuasissimum est. Velim scire, quid suadeat vel persuadeat. Nam Isidori locum, quem Dousa in noni libri capite posuit, frustra quaeri animadvertimus p. 152, 172. Terentius Scaurus quum p. 2255 dicat: « — unde etiam Lucilius in IX satyrarum, de orthographia praecipiens, ait — » non sane disertius titulum memorat, quam Velius Longus p. 2214: « — apud Lucilium in IX (in quo de literis disputat) —. » Patet enim, eodem jure disputationem *de literis* ac praecepta *de orthographia* posse titulum fieri. Quod vero idem p. 2227 scripserit: « — nec aliter apud Lucilium legitur in praepositione per: *L licien-do — congeminat L* — » quis te credat serio putasse, id argumento esse, non totis libris titulos convenisse? Non enim hîc titulum agnosco, sed indicem, a Velio adhibitum, quo longioris satirae locum commodius indicaret. Similia fortasse in fragmentis ejus libri aliarum praepositionum exempla exstant. Prorsus eadem ratio est eorum librorum, quibus

Becker titulos a rebus, de quibus actum est, invenisse sibi visus est: quarti *de divitum luxuria:* decimi *de poëtarum insectatione.* Nam pari jure, quae de noni libri titulis similibus diximus, hîc repetimus et librum vigesimum quintum *de parcimonia* inscribere licebit. Cf. disp. mea p. 185, 239. *Torquatus*, de quo dixi p. 186, vereor cum Beckero libri undecimi titulum facere, quia Plinius scripserit: « crebrae papaveratae — jam sub Lucilio poëta in Torquato notatae.» Hîc enim obscurum est, utrum *sub* aetatem Lucilii indicet an aliud valeat. Praepositione *sub* similiter usus est X, 85: «Super cuncta est murium fetus: haud sine cunctatione dicendus, quamquam *sub* auctore Aristotele et Alexandri militibus.» Nihil de hoc praepositionis usu lexicographi, quem nobis patefaciant grammaticae latinae peritiores. Sed alius est Plinii locus XXXIII, 5: «Gallos cum auro pugnare solitos, Torquatus indicio est.» Hîccine notum Lucilii librum *Torquatum* indicatum statuemus? Vix puto licere, etiamsi quod idem memoravit VII, 54: «dum obiit A. Manlius Torquatus, Consularis, cum in coena placentam appeteret» aliquem movere posset, ut e Luciliana descriptione petitum crederet hunc virum; nam redolet sane ejus festivitatem. Verum T. Manlium Torquatum ab eo notatum fuisse, non, cui Auli praenomen esset, credibilius est. Restat igitur *Fornix*, de quo primus accuratius agere studui, ad tituli explicationem adhibitis quae apud Arnobium exstant eo spectantia. Prudentissimum enim in omni interpretatione mihi videtur esse, videre num quid ipse scriptor afferat quo illustretur. Jam quum proxime praecessisset apud Arnobium quaestionum grammaticarum mentio, earumque ipsarum cum in veterum de Lucilio testimoniis, tum in incerti loci fragmentis, tum in nono libro disertam mentionem exstare

cognovissem, praeterea constaret, librum nonum praecipue in orthographia versatum esse, maxime consentaneum arbitrabar esse, ad harum rerum notitiam Lucilii Fornicem spectasse. Itaque fidenter scripsi et noni libri titulum Fornicem fuisse existimavi. Quae ratio tibi omnino non satisfecit, falso primum animadvertenti, noni libri titulum *orthographiam* constare, qui multum abest ut verus sit; tum neganti in vocabulo *fornix* quidquam, quod ad orthographiam referatur, inesse. Hoc verum esse assentior; quamquam, quam parum hinc probetur, nihil fingi a facetissimo poëta potuisse, quo rerum mere grammaticarum, nec poësi accommodatiorum quam lectorum voluptati, levaret satietatem, sponte cuivis intelligitur. Sed alia item objicis. Quippe ais, pari jure me potuisse noni libri argumento adscribere, quae apud Arnobium de *rhetorica* et *dialectica* sequuntur, atque adscripserim, quae Fornicis mentionem praecesserunt ad *grammaticam* pertinentia. Equidem insipide me facturum fuisse existimo; nihil enim eorum, quae post memorantur ab Arnobio, apud Lucilium in nono exstare video; nihil de constitutionibus, quae sunt in litibus, de causarum et dictionum generibus, de genere ac specie, nihil denique de oppositi et contrarii discrimine. Contra vero verborum per tempora declinationis exemplum habeo IX, 14:

Fervit aqua et fervet; fervit nunc, fervet ad annum,

et duplex aliud nominum per casus declinationis, IX, 6 et 7, referendumque eodem, quod Quintilianus I, 13 Lucilii praeceptum memoravit, quod quia pluribus explicaretur versibus, quaeri in nono libro jussit. Neque barbaras voces frustra quaesierint Arnobii aequales a Lucilio reprehensas; quamvis quod indicio esse posset fr. 13:

Porro chenopodas, sic clinopodas lychnosque

Diximus σεμνῶς ἀντὶ *pedes lecti atque lucernas*, libentius omittimus, quippe a Macrobio ad primum, non ad nonum relatum. Nihil tamen obstat, quominus in longiore libro exempla vocum barbararum exstitisse credas, etiamsi in pauculis ea fragmentis monstrare non liceat. Neque enim immemorem esse par est Quintiliani I, 5, Lucilium memorantis, qui Vectium Tuscorum, Sabinorum et Praenestinorum sermone utentem insectatus sit. Praesertim vero hic memoro Isidori verba, p. 174 laudata: «Fiunt praeterea (soloecismi) ex plurimis modis. Nam Lucilius centum genera soloecismorum dixit, quos omnes vitare potius quam sequi debet, qui regulam recte loquendi tenere studet.» Atque his jam accedat Pompejus, de barbarismo (p. 430 Lind.), cujus me memorem fecit O. Jahn prolegg. ad Persium p. XXII: «Lucius autem dixit centum (soloecismos) et enumerat omnes. Exstat liber ipsius, dicit illud et illud; nam ait sic:

Adde soloecismo(n) genera atque vocabula centum,

et currit (percurrit Lind.) ipsa vocabulis versibus scriptis arte, et ibi enumeravit illa omnia. Interim iste breviter strinxit.» Lucius hic Jahno primum incertus poëta grammaticus visus est; idem tamen p. 407 haud amplius dubitavit, quin, comparato Isidori loco, Lucilium scribendum esse censeret. Magni autem momenti Pompeji verba sunt, quippe quae docent, quantam jacturam fecerimus, quibus liber ille Lucilii satirarum nonus ereptus sit, quem vere thesaurum grammaticae disciplinae haberi par est. Praeterea vero vide, quam illa apud Arnobium: «quia numerosum et instructum compositumque sermonem aut ipsi vos nostis efferre, aut, incomptus cum fuerit, scire?» optime explicentur ex eo, quod vetus interpres ad Hor. Sat. I, 10, 50 indicat, in nono emendasse Accii carmina

Lucilium. Cf. disp. mea p. 90, 170, 180. Nam si quis eas Lucilii emendationes et accurate animadvertisset et prope memoriâ obsignata haberet, facile is incompositae orationis vitia invenire et scire sibi videbatur; facile idem efferre compositam se posse arbitrabatur. Patet igitur, haec eximie quadrare, nec credo opus esse, ut tecum Fornicem Lucilii et Pomponii Marsyam ab Arnobio memoratos putemus esse propter linguae rerumque expositarum obscuritatem. Nam quod Marsyam *Atellanam fabulam* fuisse contendis, nimium fortasse est; quippe praeter hunc unum Arnobii locum nullus adhuc in antiquis libris inventus est, qui nos docere possit aut cujus Pomponii opus sit habendum, cum plures memorentur apud *Welcker, Griech. Trag.* p. 1440 sqq. et *Munk de fabb. Atell.* p. 94, aut quale opus fuerit. Nolo tamen hîc reticere, etiamsi ceteris non probetur, quid conjecerim. Persius enim, postquam Sat. I, 114 sqq. Lucilii et Horatii scribendi libertatem attigit, quaerit:

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? «Nusquam.»
Hîc tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle;
Auriculas asini quis non habet? —

Ad hunc locum schol. (apud Jahn p. 275): «Midae historiam tangit, quae talis est: Mida rex Lydiae fuit, cognitor adhibitus a Marsya et Apolline decertantibus inter se, quorum audita cantilena praeposuit Marsyam. Iratus Apollo damnavit ejus stultitiam auribus asininis, quas ab omnium aspectu corona imposita prohibebat. Dum tonderetur autem a suo liberto tonsore, metuens hoc ab eo divulgari, ei poenam imposuit. Cum silentium quoque intra se continere non posset, scrobem fecit et ita, quod viderat, intus narravit. —» Exstat autem apud grammaticos libri mentio, quem Pomponius Secundus misit ad

Thraseam, eum, de quo praeclare Jahn in prolegg. ad Pers. p. XXXVIII sqq. egit. Is Paetus Thrasea vir magnanimus, sanctissimus, mansuetissimus fuit; sequebatur Stoicorum disciplinam et Catonis Uticensis imitandi studiosus erat; idemque Persium summe dilexit ab eo inde tempore, quo juvenis jam adultus atque philosophicis studiis jam paulum corroboratus, quantam de se spem suscipere liceret, viro gravissimo probavit. Qua de re scriptus sit ille Pomponii ad Thraseam missus liber, nesciri ait Jahn. Fortasse Pomponii Marsyas, ab Arnobio solo memoratus, intelligendus erit; qui si libri titulus fuerit, Neronis tempore a Pomponio scripti, non mirabimur, tragoediam fuisse, quamvis quo nomine ab Arnobio cum Lucilii Fornice memoratus sit, prorsus ignoremus. Fornicem autem Becker *septimi* libri titulum habuit, in eo Schönbeckum secutus, ut ipse tradit p. 247. Hoc viri illi fecerunt, quia, *ganeum* significari eo vocabulo putantes, septimo libro de re meretricia actum videbant. Quod inconsideratius et levius est: nam libri *noni* fr. 20:

Si nihil ad faciem et solum lupa prostibulumque,
Nummi opus atque assis —

de re simili sermonem fuisse videmus, licet non plane certum esse varietas lectionis monstret: nam codices Nonii variant inter librum *octavum* et *nonum*. Universe autem, quam incertam rationem Dousa in fragmentis disponendis secutus sit, quamque infirmo fundamento utatur, qui Dousianae distributionis ordinem in singulorum librorum materia perscrutanda sequi velit, indicabimus, librum septimum et octavum exempli causâ adhibentes. Sequemur Dousae editionem atque ea fragmenta, quorum ex Nonio certus videtur esse locus, omittemus. Adhibui editionem a. 1614, quacum facit Gerlachi, nisi quod VIII, 2: Virg. lib. VIIII

habet, et *compon.:* Luc. lib. VIII; collationem cod. MS. Guelferb. in Gudian. n. 218, et Auctt. ling. lat. a. 1602.

Liber VII.

Fr. 1. *Hanc ubi vult* —. Sat. lib. VII—VIII—8.
» 4. *Aptari copul* —. » » XV—VII —VII.

Liber VIII.

Fr. 2. *Cum poclo* —. Sat. lib. VIIII-IX-9. *componere* VIIII-VIII-8.
» 5. *Quarum* —. » » VI—octavo—octavo.
» 6. *Tum* — —. » » eodem-» -» (i. e. VIIII-VIII 8. cf. Fr. 2).
» 9. *Inde* — —. » » VIIII—VIII(VIIII)—VIII.
» 13. *Intu' vero* —. » » VIIII-IX-12. (*Char.*) quarto.(*Prisc.*)VIII.
» 14. *Hic est* — —. » » VII—VIII(VII)—VIII.
» 15. *Anicula* — —. » » III—VIII(III)— 8.

Patet inde, obscoena quaedam etiam ad librum nonum pertinere potuisse, quibus addo libri XI fr. 14. Certius enim hoc ad VIIII, quam ad XI referetur. Nihil autem prorsus indicii superest, unde conficiatur, quid titulus *fornix* significaverit: tam enim fornix Fabianus, quem ego significari suspicatus sum, quam lupanar eo declaratur. Nec sane quis, comparata Horatii satira secunda libri primi cum Luciliani satirarum libri septimi fragmentis, ubi invenerit Horatium vs. 45 dicentem:

— *quin etiam illud*
Accedit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeterent ferro —

et dixisse Lucilium fr. 1.

Hanc ubi vult male habere, ulcisci pro scelere ejus
Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo
Praecidit caulem testesque una amputat ambo;

ubi porro cum versibus Horatii 116 sqq.

— *Tument tibi quum inguina, num, si*

Ancilla, aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi? —
contenderit Lucilii fr. 2.

Dixi, ad principium venio, vetulam atque virosam
Uxorem caedam potius, quam castrem egomet me;
ubi tandem animadverterit, ejusdem Horatii satirae versibus 30 sqq. *fornicis* mentionem sic fieri:

Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
Quidam notus homo quum exiret fornice, macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis:
non facile quis, inquam, ea attendens, sibi statim ceterisque persuadeat, satis hinc argumenti capi posse, ut contendamus, sua hausisse Horatium ex Lucilii Fornice et conflari in septimum librum debere ea Lucilii fragmenta, quae in eo argumento versari videantur. Haud nego fieri potuisse ut, quemadmodum Horatius magis de industria pericula et difficultates enumeret, quae manent eos qui matronas tangere velint, sic Lucilius fusius persecutus sit lupanaris olentis incommoda et damna, atque ut *Cupiennium* inscriptam invenimus Horatii satiram a Cupiennio matronarum sectatore, ita *Fornix* commodus fuerit Luciliani libri titulus; verum huic suspicioni, cui praeter τὸ δυνατὸν nihil fundamenti subest, obest, quod primum fragmentum tam ad librum *septimum* quam ad *octavum* referri possit, idemque titulus non magis septimo quam octavo et nono conveniat, hoc quippe commune habentibus, ut fragmenta ejusdem generis similia contineant. Quapropter malo adhaerere Arnobio, et *Fornicem* libri *noni* titulum fuisse existimare, sive is ad lupanar, sive ad arcum publicum pertinuerit.

His jam expositis, neminem futurum arbitror, qui me modum excessisse in quaerendis et constituendis librorum

titulis contendat. Tres enim antiquitas probat, ceteros commentitios habere praestabit. Tu vero ut nimis credulus *orthographiam* titulum libri Luciliani agnovisti, ita inaudita incredulitate rejecisti *Deorum concilium* et *Collyram.* Assentior tibi equidem, verba Lactantii sic explicari posse, ut tu mavis, de singulari libri primi loco, ubi Deorum concilium descriptum fuisse accepimus, quum similiter Velius Longus scripserit, *apud Lucilium legi in praepositione per.* Quin sententiae tuae favere videtur, quod animadvertimus, Lactantium, qui aliquoties Lucilium memoravit, fere semper rem, de qua agatur apud Lucilium, nusquam librum satirarum cum numeri nota designasse. Cff. *Instt. Div.* V, 9, 20. V, 14, 3. VI, 5, 2. 18, 6. I, 22, 13. *Epit. ad Pentad.* 22. Verum tituli suspicionem nobis movit, quod duo alios memoratos inveniebamus haud ambiguae fidei, *Fornicem* et *Collyram;* quo minus dubitavimus, quin *Deorum concilium*, quem titulum habere Lactantii locus non vetat, tertium agnosceremus. Quod vero tu *Collyrae* quoque inscripti libri fidem auferre studuisti, quanti sit, videamus. Memorasti editionem Minutiani a. 1486, ubi scriptum: *compono. s. librum. lucilii. Sextus decimus collyra inscribitur.* His comparantes, quae in Auctario veteris commentatoris, a J. Cruquio editi, p. 689 ad Hor. Od. I, 22, *dum meam canto Lalagen* notata invenimus: « i. e. carmen in Lalagen amicam, ejus *compo*situm *no*mine. *S*ic et *lib*er *Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur*, eo quod de Collyra amica sua scriptus sit» apertum est, quomodo, vocabulorum syllabis demtis, istiusmodi lectiones oriri potuerint; nec difficile jam erit inventu, unde alia lectio profecta sit: « compono sc. librum Lalagen; ita liber Sex. Decii Collyra inscribitur eo, quod de Collyra amica scriptus sit.» Hic enim quum omissum

sit *Lucilii* nomen, intelligitur, librarium, quum haec literarum compendia invenisset: *dum meam canto Lalagen: . . . . compo. no. s. et lib. . . sex. dec. Collyra* —, iis sic usum fuisse, ut aliquam sententiam efficeret. Cf disp. mea p. 35. Nec quisquam, credo, offendetur eo, quod cum *lyrico* Horatii carmine *satiricum* Lucilii comparatum sit: quasi vero veteribus interpretibus minor quam pictoribus atque poëtis quidlibet audendi potestas fuerit. Recte autem tu animadvertisti, Arnobio, qui Fornicem Lucilianum solus memoravit, Lactantium et Porphyrionem, qui reliquos duo prodiderunt, aetate fuisse juniores; minus recte, omnes titulos a grammaticis esse profectos, neque ab ipso Lucilio originem habere potuisse. Quid enim obest, quominus sic statuamus? Negasti, satis aptos titulos tibi videri, quibus binae ingentis operis partes designarentur, cum initio tantum operis Deorum concilium descriptum esse constet, nec verisimile sit, in canenda Collyra diutius poëtam occupatum fuisse. At eadem difficultas erit in existimandis ceterorum librorum titulis, quorum singulorum argumentum non simplex sed varium fuisse in disquisitione de argumentis docui; quae varietas quanta esse debuerit in Luciliano opere, eo melius intelligemus, quo mobilius ejus ingenium fuisse, quoque minus curae in scribendo atque elaborando posuisse eum cognoverimus. Quodsi igitur minoribus partibus tituli non convenisse omni ex parte censendi sunt, causa non est, cur ab utriusque partis exordio universarum partium titulos eligere poëtae non licuerit. Nec minore quis jure suspicetur, Fornicem a grammaticis postea libro *nono* titulum datum fuisse, ut *primo* et *sexto decimo* eos, qui horum librorum propria argumenta designarent, praefixerunt.

Accedo ad *epistolarem* librorum formam, quam tu et

Becker attigistis. Visum huic esse cognovi, Lucilii libros nonnullos a προσφωνήσει esse appellatos, cujus generis quatuor invenit, Aelio, Fundio, Albino et Caelio, singulis singulos inscriptos. Itaque contendit, vel priorem librum, vel partem operis priorem, totum Aelio Stiloni dedicasse Lucilium, eundemque quintum ejus partis librum fortasse Albino, quartum decimum Fundio, aliis alios jam ante inscriptos, intactos sivisse. Ac recte quidem de Aelio ille judicavit, Lucilii versu usus, qui est in Rhetoricis ad Herennium IV, 12, ubi *res* commodissime ad rerum farraginem, quae prioris partis esset, referuntur. Incautius vero ad librum quintum pertinere censuit Albini mentionem; nam prorsus nescimus, quis amicus fuerit, quem negligentiae in se visendo accusavit Lucilius. Quae supersunt ejus libri fragmenta non indicant, descriptionem quandam virtutis eo comprehensam fuisse; nam illa fragmenta, quae p. 172 ad librum quintum referri posse putavi, retuli suspicione ductus; quam ob rem nihil inde conficere nobis licet, quo pateat, in definienda virtute eo loco versatum esse poëtam. Nullus autem videtur aptior locus inveniri posse, quam qui est libro sexto decimo, ubi fr. 5 Fundium virtute delectatum iri, ubi strenuior villicus evaserit, declarans, virtutis commendationem sponte additurus videtur. Ad hunc locum tu monuisti, Fundium villicum esse non potuisse, quia parum hujus conditionis homini gentile nomen conveniat. At gens Fundia prorsus in annalibus Romanis ignoratur, neque igitur credibile est, *Fundium* quendam *Albinum* a Lucilio significatum esse, quem virtutis admonuerit, quemque modo gentili nomine Fundium, modo familiae Albinum appellaverit. Talia commenta quia nihil prosunt, malo iis abstinere et ex te quaerere, num Gallonii et Granii praeconum nomina, ut Fundii, gentilia fuisse

censeas. Illum autem egregium de virtute locum, quem ad librum vigesimum quintum p. 239 referendum esse censui, ad librum quartum, ubi de simili argumento actum fuisse docui p. 193, tutius referemus. Nam admonuit me O Jahn in prolegg. ad Persii editionem, p. LV (cf. p. 157) imitationis Persianae Sat. III. 66 sqq.

Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum.
Quid sumus et quidnam victuri gignimur? ordo
Quis datus, aut metae qua mollis flexus, et unde?
Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Utile nummus habet? patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat; quem te Deus esse
Jussit, et humana qua parte locatus es in re?

Partim Persius expressit, quae Lucilius ad Albinum scripserat. Tertiam autem satiram Persius e Lucilii quarto libro quum dicatur transtulisse (disp. m. p. 126), probabile est, hinc eum petiisse quae ad rerum causas accommodavit. Quare cur Jahno p. 143 displicuerit, libri quarti reliquiis fragmentum illud accensere, non video; nam versu 38 pariter dictum esse patet: *virtutem videant, intabescantque relicta.* Praeterea conjunctus esse potuit totus ille de virtute locus apud Lucilium cum iis, quorum fragmenta non amplius supersunt; quae tamen movere scholiasten potuerunt, ut illa a Persio expressa existimaret. Verum haec fusius tractare hujus quidem loci non est. Quocirca, quum nulla causa sit, cur apud Priscianum alteram codicis lectionem *in XIV* cum Beckero p. 251 probabiliorem habeamus alterâ, qua *in XVI* Fundius compellatus a poëta dicitur, nec vero necesse sit, tecum *Fundii* personam a *villici* distinguere, adhaerere iis poterimus, quae antea monui, nisi quod, probabilitatem secuti, Albinum in quarto libro, non in quinto aut vigesimo quinto, a Lucilio compellatum

fuisse statuemus. Nec quidquam impedit, quominus arbitremur, Lucilium varias ejusmodi epistolas, sive eas reapse ad amicos dederit, sive finxerit datas, collectas partim Aelio, partim Fundio dedicasse; quas posteriore tempore grammatici disjungentes et in varios libros distribuentes, epistolari forma servata, a nominibus eorum, quos Lucilius compellaverat, titulorum genus petere potuerunt, licet nullum vestigium hujus rationis monstrari queat. Hoc autem tenentes non mirabimur, Priscianum sexti decimi ad Fundium mentionem fecisse, non libri posterioris ad Fundium. Nullo tamen modo consentire Beckero possumus, ultimum librum *C. Caelii* nomini inscriptum fuisse suspicato; ista enim ratio plane contraria fuisset ei, quam in superioribus libris tenuisse grammaticos docuit, quum Caelius gravissimus adversarius, ceteri amici poëtae fuissent.

Quid autem porro in Scaligero, cujus sententiam p. 170 jure mihi amplecti posse videbar, carpendum inveneris, nondum quamvis diu meditatus cognovi. *Rhetorem* enim fuisse amicum quendam Lucilii negasti, propterea quod in fragmento ait: *hoc Volueris et Debueris te si minu' delectat quod ἄτεχνον Isocration est;* quod ipsum haud scio an non ironice scripserit poëta, praesertim quia nova ὁμοιοτέλευτα addit. *Si minu' delectat* dictum puto pro *nisi impense delectat;* qua ipsa significatione Scaligerum haec accepisse persuasum mihi habeo. Majore sane jure reprehendisti me, quod decimo libro poëtam de sua vita, quaeque per illam sive bene sive secus instituerat aut ipsi evenerant, p. 178 egisse statueram, quum unice in vitiis, quibus sua poëmata laborabant, perscrutandis et perstringendis versatum esse, Persianae vitae scriptor indicet. Minime tamen tuam sententiam probare possum existimantis, Lucilium ubi, teste Hieronymo, Ennium *Homerum alterum* appellavit, hac appellatione eru-

ditos criticos irrisisse; neque enim fieri potuisse ais, ut, qui Enniana carmina carpsisset, Ennium eximie laudaturus fuisset. Exemisti igitur criticorum numero Lucilium, quibus eum accenseri ab Horatio p. 181 docueram; quippe criticum dici non debuisse, qui *mediocris doctrinae* vir fuisset. Verum obstare non vidisti, significasse Hieronymum, candide atque in apertam Ennii laudem Lucilium appellationem illam usurpasse argutiusque te fecisse, qui Lucilium iccirco memoratum esse ab Hieronymo putaveris, quod ejus, cujus superessent carmina, primum ei in mentem veniret. In mentem tibi revoco, quod IX, 8 legitur apud Lucilium:

Quapropter dico, nemo, qui culpat Homerum,
Perpetuo culpat, neque, quod dixi ante, poësin;
Versum unum culpat, verbum, enthymema malignum.

Quum sic de Homero pronunciaverit, nonne verisimile est, eundem magnifice de Ennio sensisse, cujus Annales cum Iliade Homeri composuerat? *Mediocrem* autem Lucilii *doctrinam* qualem existimare conveniat, satis explicuimus, ubi opposuimus ei *miram*, quam eidem Quintilianus tribuit, *eruditionem* p. 81, 104, et Latinae linguae peritiam p. 82, quae respicere sane oportuit eum, qui judicium ferre instituat de Lucilii in re critica facultate.

Minus profecto miratus sum, offendisse te, quod p. 235 ita scripsi: « Haec de personis Lucilianis animadvertisse sufficiat. In quibus *primores populi* praesertim attendimus, quorum vita et res notiores erant. Sed etiam ignobiliores atque e plebe homines in eorum numero fuisse palam est, atque plura horum nomina in fragmentis corruptis sine dubio latent. Quod vero dicitur Lucilius populum *tributim arripuisse*, re vera singulas triginta quinque tribus notasse videtur.» Rem confirmare exemplorum varietate mihi non licebat; sed scholiastae locum attigi, Luci-

lium de Tusculanorum moribus, *Papiriae* tribui adscriptorum, egisse docentis. Adjeci *Palatinae* et *Oufentinae* tribuum mentionem (vid. extrema mei libri pagina). Deinde eodem redire me jussit Ausonius Popma, cujus opinionem, vere acutam, veram esse dubitavi p. 256, 257, existimans «parum verisimile esse, Lucilium, quem poëtam cognovimus ingenii vi ac fervore florentem, singulas deinceps tribus satiris suis arripuisse, ordine et modo omnia disposuisse, et carmen edidisse, quod ipsius urbis Romae descriptionem accuratam contineret, et in ejus quisquiliis ac nebulonibus notandis versaretur. Quod nisi statuatur, ineptum sane negotium fuerit, ad tribuum XXXV numerum librorum numerum exigere velle. Veri autem similius est, *urbanas* cum et *rusticas* tribus separatim aggressum esse, idque patere opinor collatis libri quarti et quinti argumentis supra indicatis.» Talia equidem tum, quum totus in commentatione illa et meditatione versabar. Jucundum igitur mihi nunc esse longeque acceptissimum intelliges, quod scholiastes ad Persii Sat. I, 115, (Jahn p. 275) legi: «*Urbem* autem ideo dixit *secuit*, quia tribus omnes triginta quinque laceravit, ex quibus urbs tota constat.» Poteris fidem dictis negare, ac negabis fortasse; sed quaero negandae fidei causam, non irrisionis lepidae innocentiam atque impotentiam. Sed audendum est aliquid, ne semper iisdem angustiarum limitibus concludamur; nec affirmabo quidquam, quod idem confirmari argumentis non poterit, sed libero cujusque judicio, quod mentem subiit, committam libere. Recolentibus enim memorabilem Horatii locum, ubi Lucilius pendere ab antiquae comoediae Atticae principibus dicitur, eaque considerantibus, quae ad interpretandum illum locum attulimus p. 290 sqq., non absurdum videri poterit, si

quis illam disertam variarum tribuum commemorationem, singularumque passim enumerationem, quam scholiastes indicat, conferat cum Eupolidis fabula Δήμοις. Eâ id egisse visus est Eupolis, ut cives suos ad meliorem reipublicae administrandae rationem exhortaretur. Verum, quaecunque Runkel, Raspe, G. Hermann et Meineke de hujus comoediae ratione disputarunt, non sane faciunt, ut ullum imitationis vestigium deprehendere possis. Existimant enim, a choro τῶν δήμων titulum sumtum esse, qui, sive *senum* gravitate spectati, quod Hermanno opusce. V, p. 294, sive *virili* aetate, quod Meinekio videtur placere hist. crit. Com. Gr. II, p. 466, affuerint in scena, quum, evocante Mercurio, ex orco prodibant Solon, Miltiades, Aristides et Pericles. Quae ratio, etsi fragmentis valde consentanea esse videtur et assensum tulit C. O. Mülleri (*Gesch. d. Gr. Lit.* II, p. 258), falso Myronidem evocatorem umbrarum putantis, tamen mirum est quomodo probari potuerit rem accurate perpendentibus. Constat enim, comoediarum viginti quatuor choreutas fuisse; qui numerus nec fluctuavit postea, et vero docente fabulas Eupolide jam constitutum fuisse censeri debet. Itaque nullo modo chorus δήμοις componi potuit, qui centum et septuaginta quatuor fuere; parum autem verisimile est, ex his δήμοις clarissimos quosque ad viginti quatuor numerum in personarum habitum redactos esse. Audiamus, quid Raspe statuerit p. 14: « Intelligis quam vera sit Suevernii (*über Aristoph. Wolken*) aliorumque sententia, qui chorum constitisse dicunt ex Demis, de qua re ego plane non dubito, non quo eos sequar, qui semper fabulas nomen invenisse arbitrantur a choro, — sed quoniam in ea fabula, in qua agebatur de *universae* reipublicae misero statu emendando, chorus ex Δήμοις componi non solum potuit, sed paene

dixerim, debuit.» Hinc in fabulae argumento, quod libri initio posuit, haec dixit: ὑπόκειται ὁ χορὸς τῶν Δήμων, τοὺς ἐφήβους οἰνιαστήρια σπένδοντας τῷ Ἡρακλεῖ δοκιμάζων, θύων τε καὶ εὐωχούμενος. Nemini arbitror persuasurum esse, hanc solam causam, quod in Δήμοις de universa republica agebatur, sufficere ut probetur eo, chorum δήμοις constitisse. Praecipue vero ratio mihi habenda videtur Aphthonii scholiastae, quem edidit Walz Rhett. Gr. I, p. 646 (indicante Meineke, Fragm. Com. Gr. II, 1, p. 456): Ἀριστείδης πολλὰ περὶ δημοκρατίας δημηγορεῖ, ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ ὁ Εὔπολις, περὶ παλαιῶν δήμων γράφων, πεποίηκεν. Hic locus sane multorum est instar, quippe errorem tralatitium tollens, quo δῆμοι creduntur chorum effecisse. Neque enim video, si sic statuatur, quid scholiastes significaverit dicendo, Eupolin de antiquis demis scripsisse. Quare praefero his, quod in annotatione ad Amyoti Pericleae vitae versionem (vol. II p. 164) legitur: « *Eupolis jouoit à ce qu'il puroit dans cette comédie les différents peuples de l'Attique.* » Similiter Xylander ad Pericl. vitae c. 3: « Eupolis *in populis.* Etiam *in curiis* potest exponi: et videtur curiatim in ea comoedia vexasse Athenienses poëta.» Quaeri potest, qualis chorus fuerit. Non definiam, destitutus antiquitatis testimoniis. Memorabile vero est, quod Platonius ait de comoed. p. 27: Καὶ ἥνπερ ἐν τῇ παραβάσει φαντασίαν κινοῦσιν οἱ λοιποί, ταύτην (Εὔπολις) ἐν τοῖς δράμασιν, ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ Ἅιδου νομοθετῶν πρόσωπα, καὶ δι' αὐτῶν εἰσηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως. Quibus verbis intelligitur, in variis comoediis Eupolin varios legislatores ex orco excitasse, qui aut de legum latione aut de dissolutione agerent, ut Cratinus quoque Solonem in fabula ex inferis accivit. Atque in Demis quidem minus de fe-

rendis legibus, quam de neglectis et antiquatis, hujusque instituti causis et jure disputatum esse a principibus viris ex inferis excitatis, praesertim a Solone, perspicuum est. Praeter hos memorantur, qui adhuc vivebant, Myronides, Nicias, quorum illum cum Pericle, hunc cum Aristide sermonem miscuisse, fragmenta docent. Simul vero mentio fit et oratorum et imperatorum, quorum imbecillitati res civiles et militares commissae erant. In his Demostratus et Phaeax, Laespodias, Damasias, Telesippus, Demophon, Theagenes καπνὸς, Cleocritus, Antimachus ὁ τραπεζίτης, Phrynondas, de quorum infantia et nequitia Raspe et Meineke egregie disseruerunt. Postremo Pisistrati et Phormionis, qui jam pridem decesserant, memoriam instauratam fuisse legimus. Haec animadvertentibus haud immerito suspicio oritur, Eupolin eos omnes, qui, e variis Atticae δήμοις oriundi, aliqua ratione rempublicam attinebant, sive oratores se haberi vellent et in concione verba facerent, sive exercitui et classi praeessent, exagitare sibi proposuisse; itaque finxisse Myronidem et Niciam primum cum antiquis principibus sermocinantes et interrogantibus, quis rerum status sit, respondentes: tum adductos ad hos ab iisdem nebulones istos, ad rempublicam admotos eidemque gerendae nec aetate nec peritia pares; tandem vero instituisse principum singulos commemorata vitia reprehendere, quibus vitiis factum esset ut in praesentem conditionem res ruissent: qua in re Solonis legislatoris, Miltiadis imperatoris, Aristidis justi, Periclis oratoris, suae singulorum partes gravissimae esse debuerunt. Atque Aristidem quidem multa de democratia dixisse, indicavit nobis Aphthonii scholiastae locus laudatus. Neque tamen principum orationes illae continuae fuisse videntur, sed interceptae aliorum sermonibus; nam apud Platonium l. l. παραβάσει

δρᾶμα opponitur. Quam autem decuerit hoc argumenti genus atque haec scenarum successio *iratum* Eupolin, quam recte cum ejusdem Ἀστρατεύτοις convenerit, non est quod fusius exponam. Sed ecquis tandem chorus fuerit? Si duodecim φυλαῖς viginti quatuor φράτορας fuisse constaret, hos sine dubio χορευτὰς haberem. Sed, re incertâ, malo suspicari, compositum fuisse ephebis, qui solenni Apaturiorum die (Κουρεώτιδι) adessent, comam deposituri. Quae ratio si ineatur, facilis medicina erit fr. XV:

Καὶ τοῦ μὲν ἐν κύκλῳ γε παύσομαι λόγου,
Φράσω δέ σοι τὸ πρᾶγμα διὰ τῶν χωρίων.

Pro desperato χωρίων praestabit legere κουρίων· κουρίας, insolentior forma, hîc fraudi fuit. Verba autem videntur esse Myronidis vel alius senis, qui, interlocutorum partibus porro sustinendis impares, negotium cum demagogis colloquendi choro i. e. *tonsis* committunt. Tum fr. XXII, 3, ὦ γέροντες servandum; quippe haec a choro epheborum ad senes dicta sunt. Fr. XVI, quod recte cum praecedente a G. Hermann choro tributum est, comparatio cursorem inter et civem instituta, egregie accommodata videbitur adolescentibus ludos et rempublicam somniantibus. Tandem in fine fabulae quae a choro de feralibus corollis suspendendis in principum abeuntium honorem dicuntur, pari jure juventuti vindicari poterunt, praesertim quum legatur: Ἀναβῶμεν νῦν χἠμεῖς —, unde patet Myronidem ceterosque, qui aderant senes, sua jam venerationis officia illis praestitisse.

Haec longius persequi si conarer, et adhibitis fabulae reliquiis sententiam meam breviter enunciatam confirmare aggrederer, vereor ne multis aliud agere viderer, me certe dedeceret, quem tui, ad quem scribo, quam Eupolidis magis esse memorem oportet. Excusabis igitur oratione non divagatum, sed leniter degressum, ut ad Lucilium, quem

haec omnia spectant, redeam. Nam videtur sane ille antiqui comici, a quo et ceteris, quorum comoedia prisca virorum est, pependisse omnis fertur, exemplum, in Δήμοις proditum, imitari voluisse; nec temere nos facere credo, si, quemadmodum Eupolis curialium mores, cetera carpsit, ita Lucilium in tribubus exagitandis de industria versatum esse existimamus: curias autem et tribus quum dicimus, populum Atheniensium et Romanum, quorum singulos curiatim et tributim uterque oratione aggressus est, intelligimus. Qua autem hoc operis parte fecerit Romanus poëta si quaeritur, reminisci nos oportebit, quod supra p. 27 Horatio auctore animadvertimus, iis libris, qui hexametris versibus compositi fuerunt, pependisse Lucilium ab Eupolide et aliis comicis. In his ergo libris illa, quam scholiastes docet, locum habuit tribuum omnium triginta quinque laceratio. Oufentina tribus, cujus mentionem incerto fragmento 187 adscripsit Dousa, fortasse in *primum* librum referenda est; nam Festus haec habet: « Oufentinae tribus initio causa fuit nomen fluminis Oufens, quod est in agro Privernate inter mare (mare intra. Müll.) et Tarracinam (Taracinam M.) Lucretius: *Priverno Oufentina venit fluvioque Oufente*» ubi facile absorberi *primo* potuit sequente *Priverno.* Idem fortasse de Papiria tribu dici possit, de qua in scholiis Bobiensibus sic est: « Lucilius — hoc dicens: *prima* —. » Quamquam haec prorsus incerta esse quivis facile contendet. Palatinae vero certum videmus locum fuisse in trigesimo libro.

In quaestione de Scipionis majoris vita a Lucilio exposita speciosum est, quod mihi meam sententiam objecisti. Nam quod, te probante, p. 185 statui, non esse satirici poëtae, epici partes suscipere, et tum tuitus sum, et nunc tueor. Quapropter fidem Merulae non habendam putavi

existimanti, Q. Fabii Maximi historiam a poëta narratam esse, maloque suspicari, si Merulam opinio non omnino fefellerit, Lucilium Ennianos versus, quibus res illae exponebantur, lepide more suo irrisisse. Idem dici de Annibalis mentione posset, nisi probabile esset, poëtam in adumbranda justitia et constantia Scipionis aliud agentem etiam in Annibalem videri incidisse, praesertim si comparandis utriusque moribus et indole illustrare Scipionis ingenium sibi proposuerit.

Quod in proximis *satirae* originem et tenuia quaedam elementa detegere et in lucem proferre conatus sum, hujus me instituti nondum piget nec pudet. Nihil enim quidquam, quantumvis exile, sordidum aut inutile mihi videtur rerum gravium causas repetentibus. Eas autem non ingenio finxi, sed apud veteres scriptores investigavi ac judicio perpensas exhibui. Quodsi *Naevii* in satira Romana exemplum non agnoscis, tuo Marte facis, in re obscurissima auctoritate ac vi, non persuasione usus. Inauditum vero est, quod Graecae *phlyacographiae* imitationem, a Jo. Lydo indicatam, a te vero in fabulis numeratam, propterea excogitatam a nonnullis putas, quod hexametri exemplum in *re comica* frustra quaererent. Non inficias ibo, multas grammaticis nugas deberi; verum, qui propter unum heroicum numerum Rhinthonem ceterosque arcesseret et Lucilii duces fuisse perhiberet, haud facile quisquam exstiterit. Accedit, quod Tarentinorum, Consentinorum ac Siculorum mentio, quibus Lucilius se scribere fassum esse p. 303 dixi, Lydi sententiam confirmat. Levissima sane tua ratio cuivis videbitur, Tarentinos ceterosque lectores eruditis ac bene gnaris opponentis. Nam quaero, quidni Campanos suos, ipsosve Latinos memora-

verit, sed eos ipsos, qui et longius habitabant, et φλυακας, populares suos, bene noverant.

Postquam igitur te in perpetua reprehensione occupatum studiose secutus sum, fortunâ mihi contigit, ut extremâ paginâ collaudantem te haberem. Ea autem laus fragmentorum nonnullorum inventioni tributa a te est, major sane illa, quam pro onere quod digitis quinque levetur. Nemini invideo delectationis suae causam sive veram sive falsam; sed, vere ut fatear, fragmenta illa septemdecim, quae collegi, non magnopere mihi videntur pretiosa: quibus sic demum suum pretium erit, ubi suis quaeque locis certis conjuncta fuerint: quod nisi fit, inanes umbrae sunt. Addentur autem, quae tu et Petermann (*Neue Jahrb. f. Philol.* B. XXXIX p. 168, 169) indicastis, et quem p. 34 ex Jahni edit. Pers. laudavi versum. Plane incertum est, num recens editi fragmenti (*Biblioth. de l'Ecole d. chart. Paris* 1839, *t. I. p.* 51—78) vs. 156:

Trojanos facit ire, ut divus Homerus, aves ut,

Lucilii fuerit, ineptum Homeri (Il. γ' 2) interpretem perstringentis, quae acuta Jo. Quicherati ad l. l. suspicio est.

Haec equidem quin publice tecum literis communicarem, committere nolui. Quodsi tu ironice perorasti, triumphantis imperatoris instar, qui concisis hostium viribus illudit, scito me in vera tui admiratione quam in mea animi aegritudine desinere malle. Germaniam meritis tuis illustrare pergas, Batavis aequus esse judex discas. Vale.

Scripsi Amisfurti a. d. XIX m. Dec. a. MDCCCXLIII.

PA
6481
L6Z6

Heusde, Joannes Adolphus
Carolus van
Studia critica in C.
Lucilium poetam.

PLEASE DO NOT REMOVE
SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 02 05 09 013 4